



1586

127. 11. 15

127. 11. 15

127. 11. 15

W. 0000 act. 407.

Hephrasinus, T. m. 1000  
b. Schriften

K. VII. 91.

4

DIALOGVS  
DE FRVCTIBVS ATQ;  
QVE SIGNIS FIDEI IN IE-  
SVM CHRISTVM, QUI CONCE-  
PTVS EST DE SPIRITV  
SANCTO, NATVS EX  
MARIA VIR-  
GINE.

In quo etiam reperire licet, quo pacto Chri-  
stianos omnes & singulos deceat imi-  
tari atq; exprimere Christum  
caput & Dominum  
suum.

AUTHORE

*M. Ioanne Brandmyllero.*

1. Ioan. 2.

*Qui dicit se in eo (Christo scilicet) manere,  
debet sicut ille ambulavit, &  
ipse ambulare.*

B A S I L E A E.

[Henricus]

DIATOGVA  
D R R V O T I B V S A T A  
O V E R S I O N I S P I D I T I M S  
S A M C H R I S T I M Q U I D O M I N O S  
P E T R I S T I P U L C R I S S I M I S  
S A N C T O S P I R I T U S E X  
M A R I A V I R  
G E N I T

In diebus illis  
transiit Jesus  
per mare galilee  
et discipuli eius  
secuti sunt eum  
et dicit illis  
venite et ego  
faciam vos fieri  
piscatores hominum

Matth. 4:1-10

1. In diebus illis  
transiit Jesus  
per mare galilee  
et discipuli eius  
secuti sunt eum  
et dicit illis  
venite et ego  
faciam vos fieri  
piscatores hominum

MATTHEUS



3

NOBILITATE DO-  
CTRINA AC PIETATE

INSIGNI IUVENI SEBALDO SAV-  
romanno, Vratislaviensi, Ioannes Brandmyl-  
lerus Salutem ex corde, non in via,  
ex visceribus charitatis,  
non in transitu.



*TSI* statueram hunc  
dialogum de fructibus  
fidei Christiana, ante  
aliquot annos Germa-  
nicè à me editum, &  
nunc in sermonem La-  
tinum (non sanè elegantem sed agrestem)  
& simplicem duntaxat translatum, absq;  
prefatione emittere: tamen postquam  
vidi Theses de Christiana fidei certitudi-  
ne tibi esse inscriptas & oblatas, à claris-  
simo & integerrimo viro D. Ioanne Iac-  
bo Gryneo, S. Theologiae Doctore & Pro-  
fessore ordinario in nostra Academia,  
venit mihi in mentem, si hanc collocutio-  
nē iuxta illas positiones tibi Sauromanne  
nobilis tuae civitatis haud postreme, de-  
dicarem,

A 2

4 E P I S T O L A

dicarem, me haud absurdū facinus commissurum, neq; rem ingratam tibi facturum. Quid enim tam conveniens & congruens doctrinae Christianae, quàm vita Christiana? Si hac novistis (inquit Dominus) beati estis, si ipsa feceritis. Intellectus enim bonus est omnibus facientibus eum, testatur Propheta: quemadmodum & D. Basilius Magnus haec verba citat in lib. 1. de Baptismate, ubi demonstrat haec tria se invicem consequi, credere, intelligere & facere. Eleganter Gregorius scribit: Magis valet ad predicandum amoris conscientia, quàm exercitati sermonis scientia. Et: Nulla est dulcedo lingua, nisi cōdiatur sapore vitae. Rursum quid absurdius & à sancta professione magis alienum, quàm vitae morumque impuritas? Monstruosa enim res (ut Bernardus abbas Clarevallis olim ad Eugenium Pontificem Max. lib. 2. de Consideratione scripsit) gradus summus (ego verò arbitrator summum gradū honoris tenere eos, qui sunt & vocantur filij Dei altissimi, hoc

D E D I C A T O R I A .

5

hoc est, qui credunt in eū qui erat ἐν ἀρχῇ,  
 & factus est caro ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν  
 τούτων, Roma. 9. Gal. 3. Ioan. 1.) & animus  
 infimus, sedes prima, & vita ima, lingua  
 magniloqua, & manus ociosa, sermo mul-  
 tus, & fructus nullus, vultus gravis &  
 actus levis, ingens authoritas, & nutans  
 stabilitas. Porro vt hic dialogus tibi &  
 ceteris qui legere volent, sit commenda-  
 tior & gratior, idq; propter argumentum  
 ipsum quod in eo tractatur, ascribam hic  
 quod Thomas Kempisius, idem ferè argu-  
 mentum tractans lib. 1. cap. 3. de Imitan-  
 do Christo piè & prudenter scribit: Est  
 omnino humilis sui cognitio certior ad  
 Deum via, quàm profunda scientia per-  
 vestigatio. Neq; tamen culpanda scien-  
 tia est, aut cuiuspiam rei cognitio, qua si  
 ritè consideretur, bona est & diuinitus  
 condita: sed ei semper anteferendus est  
 animus sibi bene conscius, & coniuncta  
 cum virtute vita. Sed quia pleriq; magis  
 scire, quàm bene vivere student, efficitur  
 vt plerunque errent, & penè nullum, aut

A 3 certe

certè exiguum fructum ferant. Qui si tantam adhiberent diligentiam tum in vitijs extirpandis, tum in virtutibus serendis, quantam adhibent in quæstionibus movendis, profectò nec in vulgo tot scelera flagitiaq; perpetrarentur, nec in literatis tanta vitæ licentia vigeret. Certè ubi venerit dies iudicij, non quid legerimus, sed quid egerimus: neque quàm benedixerimus, sed quàm religiosè vixerimus, exigetur à nobis ratio. Faxit is, qui est plenus gratia, & veritate, ut & velimus & valeamus ita sobriè, iustè & piè vivere ἐν τῷ κτῶν ἀϊῶνι, ut non pudefiamus, sed fiduciã habeamus ἐν τῷ ἡμέρα τῆς χριστῶς. Amen. Vale bene ac feliciter in Christo Iesu Domino nostro, qui te suo spiritu ita imbuat, ut aliquando patria summo ornamento & emolumento esse queas,

Amen. Basilea, Anno æræ  
Christianæ 1583. Ca-  
lend. Iunij.

DIALO.



DIALOGVS DE FRV-  
 CTIBVS ET OPERIBVS BO-  
 NIS, QVAE SEQVNTVR EAM  
*fidem quæ habetur in tertium  
 articulum Symboli  
 Apostolici.*

IOANNES & IACOBVS.



IOAN. Audi, mi Iaco-  
 be: ego libenter ex te  
 aliquid quærerem, si  
 nolles ægrè ferre, aut  
 in malam partem acci-  
 pere. IAC. Cur ægrè  
 ferrem? licet quærere:

quidnam rei est? IOAN. Habésne fi-  
 dem? IAC. Egone nullam fidem? Si nul-  
 la fide præditus essem, quovis Iudæo aut  
 Ethnico deterior existerem. IOAN. Ego  
 verò non de qualibet fide quæro, sed de  
 vera sanctaq; fide. Nam ad discrimè, quo  
 vera fides à falsa & ficta differt in nonnul-  
 lis Germaniæ Ecclesijs ita canitur: Nun  
 bitten wir den Heiligen Geist / Umb den Rechten Glaus-  
 ten allermeist. hoc est: Nos rogamus Spiri-  
 tum sanctum potissimè, ut nos donet ve-

A 4 ra



*Psal. 19.* ☉  
125.  
*Hebr. 11.*

ra rectaq; fide. Et iterum: Beati sunt omnes hi, qui in recta fide ambulant hic. Item: O Domine benefac omnibus iustis, qui rectè in fide vivunt, hoc est, rectè credentibus, qui per fidem iustificati, iustitiam operantur. Super hac vera, recta, non simulata, sed viva & Christiana fide, quæ in Christo Iesu valet, quæstio mea est, vtrum eam habeas, an non? IAC. Omnino arbitror me habere: quoniam & baptizatus sum in fidem Iesu Christi, & cœnam sacram non rarò accepi, ad fidei meæ confirmationem: ac simul testatus sum, me veram & Christianam fidem amplecti & confiteri, & in ea me permansum esse vsq; ad finem. IOAN. Rectè sanè facis, quòd sacris symbolis vteris, deq; illis multum & benè sentis. Cæterum nihilominus hac in parte adhuc error ac delictum existere potest, ita ut nò statim necesse sit illum verè fidelem esse Christianum, qui cum cæteris Christianis sacris symbolis vtitur, atq; adeò hæc actio, quamvis sacra, nondum certa nota, verumq; indicium sit, rectè vereq; credentis cordis. IAC. Quis sic? IOAN. Propterea  
rea

rea quòd vehementer timendum est, ne sint non pauci inter eos qui Sacramentis vtuntur, qui Simonis Magi & Iudæ pro-  
 ditoris fratres ac socij iure optimo appel-  
 lari queant, & nequaquam verè discipuli  
 Domini nostri Iesu Christi, possitq; de il-  
 lis haud inconuenienter dici illud D. Au-  
 gustini in Ioan. Tract. 27. Multi modò no-  
 biscum manducant & bibunt tempora-  
 liter sacramenta, qui habebūt in fine æter-  
 na tormenta. Nam & D. Apostolus Pau-  
 lus alibi in hunc modum scribit: Nolim  
 autem vos ignorare fratres, quòd patres  
 nostri omnes sub nube erant, & omnes  
 per mare transierunt, & omnes in Mosen  
 baptizati sunt, in nube & in mari, & o-  
 mnes eandem escam spiritualem come-  
 debant, & omnes eundem potum spiri-  
 tualem bibebant. Bibebant enim de spiri-  
 tuali, quæ illos comitabatur, petra: petra  
 verò fuit Christus. Sed plures illorum  
 nò approbavit Deus: prostrati enim sunt  
 in deserto. Hæc autem figuræ nostri fue-  
 runt &c. Quã putas esse causam, ob quam  
 Deo non accepti fuerint, nec in requiem  
 Domini introiverint, sed in deserto mem-

Acto. 8.

Ioan. 13.

1. Cor. 10.

bra eorum conciderint? IAC. Epistola ad Hebræos id satis apertè ostendit, in qua sic legimus: Et videmus quòd non potuerint ingredi propter incredulitatem. IOAN. Animadvertis jam, ipsorum fidem (de qua sine dubio gloriabantur) non satis probatam & demonstratam fuisse in eo, quod per Mosen baptizabantur, & cibi potusq; mystici participes reddebantur. Ita tu quoque, ex eo duntaxat, quòd baptizatus es, & panem Domini comedisti, deq; illius poculo bibisti, non poteris satis certus esse, verè in te esse, ac vivere fidem ad salutem. Oporteret enim & reliquos fructus ac signa comitari tuam fidem, ut vera sit atq; probata. Quocirca te rogo & hortor, charissime Iacobe (ex animo enim tibi faveo, & bene cupio, non secus, quàm si germanus meus frater esses, quemadmodum Iacobus Domini Apostolus, Ioannis Apostoli frater erat) ut diligentius tibi ipsi attendas, & sicut

2. Cor. 13. D. Paulus loquitur, te ipsum tentes, probes, explores, num fide præditus sis: & periculum facias animi tui, dum vivis (ut Eccles. 37. Sapiens monet) videasq; ecquid insit in eo

eo mali, hoc est, diffidentiae: quemadmodum author ad Hebraeos istud malum (meo iudicio) non male interpretatur, ubi nos universos simul ac singulos ita hortatur: Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor pravum, obnoxium incredulitati ut desciscat à Deo vivente. *Hebr. 3.* Hæc doctrina Apostolica & fidelis admonitio, hodierno die profectò summè necessaria, & per quàm utilis est. Nec enim frustra toties scriptum extat de pusillo grege & exiguo numero eorum, qui verè credunt, & in fide usq; ad finem perseverant: veluti nimirum Psal. 12. Iesa. 53. Iere. 5. Hose. 4. 4. Eisd. 5. Luc. 8, & 18. Ioan. 5. 7. 8. 10. 16. Rom. 10. & 11. 2. Thes. 3. 1. Timoth. 4. & alijs locis.

I A C. Unde igitur cognoscere poterò, utrum verè sim præditus fide, nec ne? Quæso te, ut mihi indices quædam signa, seu fructus, ex quibus animadvertere ac nosse queam, sit ne fides mea parva aut magna, infirma aut solida. Spero namq; me non prorsus carere fide. Siquidem confiteor unà cum cæteris Christianis duodecim articulos Christianæ fidei. At-

qui

qui nullum qui hosce credit temerè iudicandū esse censetur: propterea quòd breviter comprehendant omne id, quod nobis necessariò credendum est ad salutem æternam. Iam autem nullus horum articulorum est, quem non pro vero certoq; habeam. IOAN. Libenter hoc, mi frater, ex te audio, nec non ex animo gaudeo, cupere te aliquot signa & argumenta scire, ex quibus discere ac cernere possis, cuiusmodi sit tua fides. Hac enim ratione fiet, vt non solūm nō sis erraturus, teq; ipsum decepturus putando te habere bonam, veram, magnam ac firmam fidem, quum tamen nihil minus habeas, aut saltem perexiguam: sicut non pauci hodie falluntur, errant, sibiq; falso persuadent, ac semetipsos seducunt, id quòd nō deberent imo nunquam facere sustinerent, si sanctis Apostolis auscultare ac obsequi studerent, qui nō semel eius rei nos admonent, dicentes: Nolite falli, nemo vos decipiat &c. Verum etiam ad id tibi proderit, vt quando animadverteris (sicuti certè animadvertes cum omnibus illis, qui seipso quoq; explorant, num firmiter

2. Cor. 6.

25.

Galat. 6.

Ephes. 5.

Iaco. 1.

1. Ioan. 3.

miter

miter & perfectè credant, an secus, nisi  
 fortè sint nonnulli inter hos planè cæci,  
 quemadmodum Pharisæi erant tempore  
 Christi ) tibi adhuc multum deesse ad ro-  
 bur & perfectionem fidei, ut, inquam,  
 tantò ardentius, sæpius & diligentius  
 Deum omnipotentem, & datorem o-  
 mnium bonorum donorumq; perfectio-  
 rum, invocés, & cū patre pueri habentis  
 spiritum mutum & surdum preceris, nec  
 non cum Apostolis, & dicas ex animo:  
 domine, succurre incredulitati meæ, atq;  
 adauge mihi fidem. Quanquam ego te  
 nō talem judico, qui fide prorsus careas,  
 quam te habere ipse modò confessus es:  
 id quod libenter ac facilè tibi credo, &  
 me non mediocri gaudio afficit propter  
 te. Quisquis enim habet, dabitur illi, &  
 reddetur abundantior: ac in eo, quod vel  
 est, vel habet, crescet ac proficiet. Quòd  
 autem hoc de te credam, inde est, quòd  
 te à pueritia colloquia prava & inanes fa-  
 bulas odio habuisse viderim, & Domini  
 verbum amavisse, libentiq; animo audi-  
 visse, literas sacras diligenter legisse, &  
 seriò Deum invocasse, & interim omne  
 id

Matth. 23.

Ioan. 9.

Iaco. 1.

Mar. 9.

Luc. 17.

Matth. 13.

Apoc. 22.

1. Cor. 13.

Rom. 10.

2. Timot. 3.

Luc. 17.

*Ioan. 5.*  
*Matth. 21.*  
*1. Timot. 6.*  
*Luc. 8.*

*Rom. 3. 4.*  
*Gen. 12.*  
*17. 12.*  
*Hebr. 11.*  
*Ioan. 8.*  
*Iaco. 2.*  
*Matt. 7. 12.*

*Luther.*  
*Ioan. 1. 7.*  
*1. Reg. 10.*  
*Gal 3. 5.*  
*Acto. 16.*

id vitasse ac fugisse, quod plures homines impedire solet, quò vel minus credere possint, vel cum cœperūt credere non firmiter in fide persistant, cuiusmodi est ambitio siue superbia, avaritia et studium pecuniæ, impatientia in rebus aduersis, & quicquid eius generis præterea est. Tu verò, mi Iacobe, novisti tum ex scriptura, tum ex catechismo, reputari quidem credentes coram Deo & iudicio eius, justos & sanctos, absq; operibus, per fidē, propter Christum Iesum (fides enim eorum reputatur eis ad iustitiam, sicut & Abrahamo patri credentium) sed tamen ipsos non manere sine operibus, postquam iustificati sunt, quemadmodum & Abrahamus pater eorum absque operibus non mansit, & arbor bona sine bonis fructibus non manet, & ignis absque calore & luce esse nequit. Fides Dei opus est in nobis, mutans & regenerans nos ex Deo, mortificans veterem hominem, faciens nos prorsus alios & novos homines & corde, & mente & voluntate ac omnibus viribus, & ferens secum Spiritū sanctum. Deniq; fides res viva, operosa, efficax & rām



tam potens est vt non possit non indefinenter bonum operari, imò non quærit, an sint bona opera facienda, sed priusquam quærat, ipsa jam ea fecit, & nunquam non est in ipsa actione. Quisquis igitur talia opera non facit, infidelis est, nec probare potest, se vera fide præditum esse. Nulla enim eius rei argumenta seu testimonia habet. Scias autem me externa opera more scripturæ tanquam fructus fidei ponere, non quod non præcipuè res sita sit in interioribus, ut timore et dilectione Dei, patientia &c. Sed quòd exteriora tanquam visibilia signa sint cum ipsius fidei, tum interiorum fructuum spiritus. I A C. Quos ergo fidei testes esse oportet? IOAN. Nunquid non istud ex modò dictis intellexisti? I A C. Intellexi quidem generaliter, primùm justificari homines gratis per Dei gratiam, absque vilo suorum operum merito, ac fidem illis satis esse ad vitam æternam: deinde, vbi fides vera est, ibi & charitatem esse, & timorem Dei, & sequi opera verè bona & observationem mandatorum Dei: & hac ratione Deo pro suis beneficijs gratias

Acto. 15.

Tit. 3.

Ioan. 3.

Oecolamp.

Gal. 5.

Rom. 5.

Eccles. 3 2.

1. Cor. 13.

1. Tim. 5.

Iaco. 2.

tias agi & fidem testimonijs confirmari.  
Nam vbi eiusmodi non sequuntur, fidem  
esse falsam: inanem ac mortuam. Sed vel-  
lẽ te specialiter ex singulis articulis sym-  
boli mihi ostendere, qui fructus & quę si-  
gna sint sequutura eos, qui istis articulis  
fidem tribuunt: è quibus ceu non menda-  
cibus testimonijs ac notis cognoscere  
valeam fidei meæ virtutem & magnitudi-  
nem, vel potius imbecillitatem parvita-  
temq;: & causam magis impellentem ha-  
beam submittendi me, ac iudicandi po-  
tius meipsum quam alios, & sine inter-  
missione orandi atq; petendi à Domino  
Iesu incrementum & perfectionem fidei.  
IOAN. Feci hoc ante aliquot annos in  
duodecim meis colloquijs, quæ habui  
cum fratre meo Germano Iacobo. IAC.  
Verum quidem est: sed ea colloquia inter  
vos habita sunt lingua Germanica, quam  
linguam non omnes Christiani (vt opti-  
me nosti) callent. IOAN. Longum esset  
iam nunc, omnes & singulos articulos Fi-  
dei percurrendo, repetere ea signa & in-  
dicia cuncta, ex quib. cuiusq; fides, quãta  
sit indicari & cognosci valet. Quare dun-  
taxat

taxat vnum ex illis sumamus: ex quo ta-  
 men (si volueris) satis superq; discere po-  
 teris, quàm rara sit hodie fides in terra, *Luc. 18.*  
 quamq; verum sit illud Apostoli: οὐ γὰρ *2. Thes. 30*  
 πάντων ἡ πίστις: quantumlibet multi de  
 fide Christiana gloriantur. IAC. Placet.  
 Velim igitur, ut mihi indices, qui fructus  
 fidei ex tertio articulo Symboli Apосто-  
 lici corde fideli percepto proveniât, qui  
 articulus ita habet: QVI CONCEPTVS  
 EST DE SPIRITV SANCTO, NA-  
 TVS EX MARIA VIRGINE. IOAN.  
 Faciam, frater. Ac principiò scias quòd  
 quicumq; hunc articulum verè credit, fi-  
 dem adhibiturus sit multò facilius etiam  
 reliquis Dei verbis ac promissionibus:  
 sicuti est articulus de resurrectione Chri-  
 sti, ascensione ad cœlos, missione Spiri-  
 tus sancti, remissione peccatorum, de san-  
 ctificatione Ecclesię & conservatione, de  
 cœlesti consolatione, & auxilio in omni-  
 bus periculis, de certa victoria contra dia-  
 bolum, mortē & infernum: & verò etiam  
 hoc, quod dicit Dominus apud Prophe-  
 tam: Dabo legem meã in visceribus eo- *Iere. 31. 32*  
 rum, & in corde eorum scribam eam: & ti

B morem

*Exech. 11.* morem meum dabo in cor eorum, ut nō  
 recedāt à me &c. Nam si filius Dei voluit  
 & potuit homo fieri, certè plura potest,  
 & sine dubio ea, quæ nō videntur ita diffi-  
 cilia, tāq; gravia esse, quàm hoc est, nem-  
 pe quod Verbū, caro, Dominus omnium  
 creaturarum, servus: summus, infimus, &  
 Deus limus, factus est. Quid quæso mira-  
 bilius, quàm quòd quis simul & Deus &  
 homo existit in vna Persona, & quædam  
 (nempe Maria) simul virgo & mater est  
 atq; manet? Quodcūq; cor hæc potest cre-  
 dere, etiā reliqua omnia potest credere,  
 quæ necessaria sunt homini ad salutem,  
 vt credat. *IAC.* Quid præterea is faciet,  
 qui credit, quòd Dominus noster Iesus  
 sine peccato de Spiritu sancto in vtero  
 Mariæ cōceptus, & ex ea natus, nostræ ta-  
 men naturæ particeps & verus homo fa-  
 ctus sit? *IOAN.* Non dubitabit hūc ipsum  
 Iesum esse talē, qui & se & omnes creden-  
 tes ita sit restitutus, vt & ipsi veri homi-  
 nes, & tamen sine omni peccato fiant,  
*Bucer.* ipforumq; natura rursus ad diuinam na-  
 turam & imaginem reformetur, ita vt filij  
 et heredes Dei efficiantur. Nam ideo Dei  
 verbum

*Ioan. 1.*  
*Philip. 2.*  
*Bernard.*

*Bucer.*

verbum nostram imbecillem atq; fragi-  
lem naturam assumpsit, vt nos liberaret à  
malis omnibus, & restitueret nos in divi-  
num statum, idq; per remissionem pecca-  
ti, vnde omnis hæc calamitas exorta est.

O frater si sæpius essemus memores hu-  
jus dignitatis & gloriæ, quã humana na-  
tura accepit, per id nempe, quod ipso in  
Christo ad communicationem & societa-  
tem divinæ personæ assumpta est & per-  
venit: profectò nos longè aliam vitam du-  
ceremus, quàm proh dolor ducimus.

Quàm puderet nos, dedere nos ipsos im-  
mundicie, & belluinis voluptatibus? An  
nescitis (inquit Paulus) quòd corpora ve-

stra membra sint Christi? Nū igitur mem-  
bra Christi tollam & faciam scorti mem-  
bra? absit. Quam magni æstimaretur se-  
pulchrū Domini Iesu Christi, si apud nos  
esset, quamq; diligenter caveretur, ne ab  
aliquo commacularetur (sicuti Iudæi &

Pharisæi Prophetarum & iustorum sepul-  
chra ædificaverunt & ornauerunt) & ta-  
men mortuum duntaxat corpus Iesu ibi  
tres dies & tres noctes mansit, atque jam  
non amplius ibi est. Cæterum in nostram

1. Cor. 6.

Matth. 23.

Mar. 16.

*Ioan. 1.**1. Tim. 3.**Ioan. 6.**1. Pet. 1.**Apoc. 19.**Erasmus.*

nem & sanguinem, id est, in humanam naturam summum bonum se ita demisit, ut in æternum ibi maneat & habitet. Quàm sollicito igitur animo nostram naturam mundam servare deberemus, ne cõspurcetur per immunditiam peccatorum & vitiorum? ò summam nobilitatẽ & suavissimam cõsolationem omnium hominum, quòd verbum caro, & Deus homo factus est. Beatus qui hæc in Deo agnoscit. Hic splendidè incedit Deus in Adamo & in nobis omnibus, tanquam in preciosa veste. Nam is factus est nostra caro, noster sanguis, nostrum figmentum, hoc est, nostram carnẽ assumpsit, ut nobis daret suum spiritum. Angeli agnoscunt & adorant hoc mysterium incarnationis, sicut Petrus testatur. Vnde angelus vetabat Ioanni, cum vellet pronus eum adorare, & dicebat: Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimoniũ Iesu. Hoc nõ audiebat Abrahamus ante incarnationem Christi. Neq; Sanctus Daniel cum adoraret angelum. Si igitur angeli agnoscunt dignitatem humanæ naturæ, quantum dedecus foret nobis, si ipsi eam vellemus

vellemus turpissimis vitijs cōmaculare?  
 Quin potius hīc nobis D. Petrus audien-  
 dus est, qui ita scribit & hortatur: Sicut  
 eius divina virtus omnia nobis largita  
 est, quæ ad vitam ac pietatē pertinent per  
 agnitionem ejus, qui vocavit nos per glo-  
 riam & virtutem, per quæ preciosa nobis  
 ac maxima promissa donata sunt, ut per  
 hæc efficeremini divinæ cōsortes nature,  
 si refugeritis à corruptione, quæ est in  
 mundo per concupiscentiam. Sed & in  
 hoc ipsum omni adhibito studio, submi-  
 nistrate in fide vestra virtutem, in virtute  
 verò scientiā, in scientia verò temperan-  
 tiam, in temperantia verò patientiā, rur-  
 sus in patientia pietatē, in pietate autem  
 fraternam charitatē, in fraterna verò cha-  
 ritate dilectionem. Filius Dei est factus  
 filius hominis, ut filios hominum faceret  
 filios Dei: Imò factus est Deus homo, ut  
 homo fieret Deus. Quare igitur is qui  
 hæc credit, ita se abijceret in dedecus &  
 ignominiam filij Dei, ut se viliores ani-  
 mali rationis experte seu bestia faceret?  
 IAC. Quid? Est ne dedecori Christo, si  
 quis nostrum se turpiter ac malè gerit?

2. Pet. 1.

Chrysost.  
Augustin.

*Hebr. 2.*

IOAN. Honore decoravit Christus humana naturam in hoc, quòd eam assumpsit: iam autè si homo quispiam flagitiosus ac improbus sit in quodam præclaro & nobili genere, tunc vulgo dici consuevit de eo: Hic totum genus sua improbitate & omnes suos amicos ac cognatos ignominia afficit: ita etiã hîc res se habet.

*Matth. 3.17*

IAC. Quando autem homo pius & singulari virtute præditus est in familia quadã: nonne id honori est omnibus amicis, qui & gaudent ea re & triumphant. IOAN. Verum est, propterea & nos læti ac hilares esse debemus, quòd Christus Iesus noster frater est, & hîc noster frater, filius Dei dilectus, in quo ei benè cõplacitum est. Quàm vehementer gaudet, lætaturq; is, qui fratrem aut amicũ apud Cæsarem aut Regem habet? At multò vehemētius lætantur omnes credentes, qui sciunt fratrem suum non solũ esse apud Deum, regem suum? esse fidelem pontificem apud Deũ ad expianda peccata nostra: sed etiã ipsummet simul esse Deum & hominem, Regem regũ, & Dominũ dominantium? Quis quæso hominum huic Iesu non haberet



beret fidem, & omnia bona ab eo expectaret? Hic non solum potest nobis auxilio esse: nam Deus & Dominus est: sed etiam vult nos iuuare & liberare ab inferno. Nam conceptus est de Spiritu sancto, natus est Maria virgine, hoc est, verus homo & frater noster est. Deducit enim Lucas eius generationem, ad Adamum vsq; Gaudium & voluntas eius cum hominibus versandi, tanta fuit, ut ipse (quamvis in forma Dei esset) seipsum exinaniverit, & filius hominis, et in omnibus (excepto peccato) fratribus suis similis factus fuerit. Conceptio enim eius divina est, & partus purus, nostro non similis, quoniam nos in peccato concipimur, & in vitio à patre, & matre nascimur. IAC. Quid hoc pariet in hominibus, si crediderint, quòd filius Dei: (qui in cœlo sine matre, in terra sine patre) ita mirabiliter natus, homoq; factus est? IOAN. Quæso quid fit, cum auditur alicubi monstruosum hominem natum esse, qui vel in utraq; manu senes digitos habet, vel duo capita, aut aliquid tale. IAC. Nemo non videre illum cupit & conatur, idq; etiam cum

*Ioan. 20.**Luc. 3.**Prouer. 8.**Baruch. 3.**Philip. 2.**Heb. 2. 5.**Luc. 1. 2.**Psal. 51.**Hebr. 7.*

jactura pecuniarum quas exponere coguntur, qui videre volunt. Etenim cum solummodo monstrosa bestia ex longinqua quadam regione in urbem adducitur, omnes ferè cives illò videndi gratia concurrunt. Quin etiam si cujusdam nuptiæ fiant, ad eas spectandas ex omnibus plateis accurritur. IOAN. Curigitur nõ etiam avidi cupidiq; sumus, præclaras hæc & eximias nuptias videndi, ubi Deus maritus sive spòsus, & genus humanum uxor sive sponsa est? De quibus nuptijs & de quo gratiæ pleno tempore, quo hæc illi copulata est, Divus Paulus ita scribit: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptione jus filiorum acciperemus: An non deberemus ardens desiderium & concupiscentiam habere, hunc nostrum sponsum mundis oculis videndi, cum sit omnium filiorum hominum speciosissimus & pulcherrimus: & mediator Dei & hominum, in quo mirabiliter duæ naturæ sunt in una eademq; persona conjunctæ: Divina nempe, qua  
infinitus

*Iesa. 54. 62.*

*Ioan. 3.*

*Ephes. 5.*

*Galat. 4.*

*Psal. 45.*

*Cant. 5.*

infinite & immortalis est, & humana, <sup>1 Tim. 6.</sup>  
 qua mortuus est, & nos redemit, & demum  
 in divina celestique gloria exaltatus est?

Quare hoc mediatore, qui filius Dei &  
 Mariæ est, non contenti sumus, sed alios  
 mediatores & advocatos apud Deum pa- <sup>1 Tim. 2.</sup>  
 trem quærimus, cum nullus præter hunc <sup>1 Ioan. 2.</sup>  
 nos ad Deum adducere possit? Nam so- <sup>Ioan. 14.</sup>  
 lus Iesus Christus est via, & pons, ex u-  
 troque latere incumbens, qui eos, qui per  
 ipsum transire volunt, ferre potest: ipse  
 est solus mediator, per quem homines  
 ad Deum venire possunt: utramque enim  
 naturam habet, divinam scilicet & huma-  
 nam, estque filius Dei & hominis. Ipse po-  
 test affici sensu infirmitatum nostrarum:  
 est enim per omnia tentatus, juxta simi- <sup>Hebr. 2. 5.</sup>  
 litudinem absque peccato: & ex hoc quod  
 ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs  
 qui tentantur, succurrere. Ipse etiam vult  
 patrem pro nobis orare, id enim proprio  
 suo ore promisit: quemadmodum apud <sup>Ioan. 14.</sup>  
 Ioannem scriptum habemus. Quæso te,  
 si quid corpori tuo deesset, aut si esses ali-  
 quo morbo affectus, cui libentius & ci-  
 tius auderes id cõqueri & defectum tuum

B 5 pate-

patefacere? IAC. Ei nimirum, qui bene mihi cupit & favet, & mihi compati, consolari me, adjuvare, mihi que consulere vult & potest, quiq; simile afflictionem, aut majorem mea passus & expertus est. IOAN. Iam verò nemo existit usquam, qui melius de hominibus meritus sit, & qui melius ac libentius in ipsorum tribulationibus, eis auxilio & consolationi esse velit & possit, quàm Christus Iesus: tanto enim amore filios hominum prosequutus est, ut propter eos è cœlis descenderit, & in hunc mundum venerit, & se præ magnitudine & ardore amoris erga eos ad humanam naturam ita se demiserit, ut ea se ipsum quasi involverit. Humanum etiam spiritum & corpus accepit, & in similitudine hominum constitutus est, figuraque repertus ut homo. Quod certè non fecisset, nisi nos singulari quodam amore prosequeretur. Quòd enim quis odio habet, hoc sanè non curat, neque assumit, sed potius à se reijcit & spernit. Vnde D. Paulus adventum Christi in hunc mundum, apparitione

*Ti. 3. né φιλανθρωπίας, id est amoris Dei erga homi-*

homines nominat. Quapropter Iesu Christo charissimo Domino & fratri nostro omnes calamitates nostras conqueri deberemus, infirmitates committere, peccata imperfectionesque nostras ipsi declarare: Is enim ille vir dolorum est, *Iesa. 53.* sciens infirmitatem, qui verè languores *Matth. 8.* nostros tulit, & dolores nostros portavit: quiq; calamum quassatum non conterere, nec linum fumigans extinguere, *Iesa. 42.* sed potius secundum suavem suam lenitatem, & singularem humanitatem, *Matth. 11.12* cordisq; humilitatem, omnium eorum, qui laborant & onerati sunt, & ad eum veniunt, corpora & animas reficere, eisq; requiem dare vult. Quare igitur ab hoc benigno, facili, miti, comiq; homine ad alium me conferrē? quasi verò alius quispiam mihi vel libētius vel melius opem ferre queat, quàm ille Iesus? Quin potius cum Christiana Ecclesia, quæ hujus hominis conjunx & sponsa est, consentiam, quæ canit: In medio vitæ lumen morte circundati, quem quærimus adiutorem, ut misericordiam adipiscamur? Te solum Domine. In media morte torquent

nos

nos inferni fauces. Quis nos ab huiusmodi necessitate liberabit? Tu solus Domine: In medijs inferni angoribus, nos urgent peccata nostra, quoniam igitur fugere debemus, ut ibi manere possimus? Ad te solum Domine Christe: ut qui servare potes ut Deus, vis ut proximus, & cognoscis ut eadē passus. IAC. Quēnam præterea fructum proferet fides adhibita tertio articulo Symboli Apostolici? IOAN. Odium & abnegationem sui ipsius, & amorem, confessionemq; Iesu Christi. Cur enim non odisset & abnegaret seipsum homo, imò cur ipsum non puderet sui ipsius coram Deo & semetipso, cum cogitat, animoque suo perpendit conceptum, partumq; suum, tam abominabilem & immundum esse, ut regnum Dei nec videre, nec possidere queat, nisi renascatur? Quis enim dicit: Mundum est cor meum, purus sum ab omni peccato? Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatus universæ justitiæ nostræ. Nullum autem coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium, intrabit in cœlestem

*Bernard.*

*Ezech. 16.*

*Ioan. 3.*

*Prouer. 20.*

*Iesa. 64.*

*Apoc. 21.*

stem Hierosolymam. IAC. Si ita est, quomodo nos in regnum cœlorum ingredi poterimus? IOAN. Per Christum & cum Christo, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Qui enim in illum credit, & non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulat, is coram Deo sanctus & purus est, neq; damnabitur, sed vitam æternam possidebit, ex mera gratia Dei, propter Iesum Christum omnium sanctissimum hominem: per quem cæteri non modò nullum detrimentum accipiunt, quemadmodù per Adamum primum hominem acceperunt, sed potius maximum emolumentum, ita ut per fidem in eius nomen hoc fiant gratia, quòd ipse Christus Dominus, & filius Dei natura est, nempe dij & filij altissimi, veræ justitiæ & vitæ æternæ participes, & denique hæredes Dei, & cohæredes Iesu Christi. Qui ut hoc credat adductus est, quomodo fieri posset, ut hunc filium hominis Dominum Christum non amaret, coleret, confiteretur, commendaret, laudaret atque extolleret? Ecce manifestatus est & apparuit Deus in carne,

Acto. 13.

Rom. 5. 8.

Ioan. 1.

2. Pet. 1.

Psal. 82.

1. Cor. 15.

1. Tim. 3.

ne,

*Rom. 8.**2. Cor. 5.**1. Pet. 4.**1. Ioan. 3.**Ioan. 1. 12.**Basilius.**Baruch. 3.*

ne, imò in similitudine carnis peccato obnoxia, & de peccato damnavit peccatum in carne ( quia victima pro peccatis factus, & in carne pro nobis passus est) ut justificatio legis in nobis impleretur, qui non vivimus secundum carnem, sed secundum spiritum. Ecce filius Dei apparuit ut peccata nostra tolleret, & opera diaboli solveret. Ecce sermo factus est caro, ut mortem, quæ in carne hæret, vinceret & destrueret, imò ita ex carne, hoc est, ex humana natura abigeret, quemadmodum tenebræ è domo, illata luce, eijciuntur, aut veluti nix & glacies à solis calore liquefiunt. O jucundum & amabilem hospitem in hominibus, & apud homines in terra. Hic enim est Deus noster, inquit Propheta, & nemo alius coram ipso haberi debet. Hic omnem sapientiam invenit, eamque Iacobo servo suo dedit, & Israëli suo per charo. Post hæc super terram visus est, & cum hominibus habitavit. Si velis ulterius scire, ad quem finem & ob quam causam filius Dei huc ad nos venerit, & verus homo ex Maria virgine natus factusq; sit, tibi id ex quibusdam



busdam sacrosanctæ scripturæ locis enu-  
 merabo. I A C. Ita, libentissimè: Nihil  
 enim est quod magis nos ad rei alicujus  
 amorem & commendationem invitet &  
 commoveat, quàm si nobis ejus rei ne-  
 cessitas, fructus & vsus notus sit. IOAN.  
 Audi igitur quam ad rem nobis adven-  
 tus Christi filij Dei in carnem, & in hunc  
 mundum, sit utilis & bonus, imò etiam  
 necessarius: Venit ille quidem vocare *Matth. 9.*  
 peccatores ad pœnitentiam, ægrotos sa- *Mar. 2.*  
 nare, animas hominum conservare, cæ- *Luc. 9.*  
 cis visum restituere, veritati testimoniũ *Ioan. 9. 18.*  
 perhibere, peccatores saluos facere, ut *1. Timot. 1.*  
 per ipsum vivamus, ut per mortem abo- *1. Ioan. 4.*  
 leret eum qui mortis habebat imperium, *Hebr. 2.*  
 hoc est, diabolum, eosque liberaret qui  
 mortis metu per omnem vitam, servituti  
 obnoxij erant: ut misericors fieret fidus-  
 que pontifex in rebus divinis, quò popu-  
 li peccata expiaret. Quoniam enim pas-  
 sus est ipse periclitando, potest pericli-  
 tantibus subvenire. Ipse prius quàm ho-  
 mo factus est, etiam cognovit humanæ  
 naturæ miseriam imbecillitatemq;, & id  
 tanquam verus & omnipotēs Deus, sed  
 nunc

*Bernard.**Hebr. 5.**Hedio.**Ephes. 1.**Psal. 118.**2. Tim. 2.**Apoc. 19.**Ioel. 2.**Apoc. 2.**Hebr. 7.**Ephes. 5.**Ioan. 10.**Rom. 8.*

nunc idipsum verè perno vit, postquam ipsemet expertus est, & sensit, tanquàm verus & naturalis homo. Quapropter nūc potest hominibus (ut ita dicam) tantò facilius credere, & misero hominum generi melius compati. Hinc ille: Salvator noster pati voluit, ut compati sciret: miser fieri, ut misereri disceret, ut quomodo scriptū est: didicit ex his quæ passus est obedientiã, ita & misericordiam. Non quod antea misereri nesciret, cujus misericordia ab æterno & usque in æternum, sed quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimento. Deniq; factus est Deus homo, ut Dei Ecclesia caput haberet, ædificium templi lapidem angularẽ, omnis creatura mediatorem, totus cœlestis exercitus regem, schola Dei suum præceptorem, civitas Hierosolyma suum templum: templum cœlestis Hierosolymæ suum sacerdotem, omnes qui in templo sunt suam oblationem, totus grex ovium Dei, communem pastorem, omnes filij Dei suū primogenitum fratrem, & ut in hoc filio hominis verum & æternū Deum videremus (in eo enim pleni-

plenitudo divinitatis corporaliter, id est, verè habitat, quapropter qui eum videt, patrem videt) & non solum hoc, verum etiam ut nos (si in ipsum crediderimus) Dij cœlestes fiamus, qui antea tantūmodo terrestres homines eramus. Quæso dicas mihi, nunquid iã non ardet cor tuum amore erga hunc pulcherrimum & dulcissimum natum hominis & filium Dei viventis, qui nobis natus, nobis inquam datus, totusq; noster est? IAC. Non admodum, proh dolor, quamvis fatear id meritò fieri debere. Heu quam miseri sumus. IOAN. Oremus igitur Deum pro Sancto spiritu suo, ex quo Christus Iesus conceptus est, ut ignem amoris Dei & filij sui in nobis accendat, itaq; efficacem reddat, ut eum etiam observatione mandatorum suorum, declaremus, & sic nos erga Dominū Deum nostrum, qui filium suum in hunc mundum misit, & Iesum Christum, qui ad nos in hunc mundum venit, & Spiritum sanctum, qui ex alto supervenit in virginē Mariam, eiq; virtute sua obumbravit, aliquo modo gratos exhibeamus. Nos certè meritò deberent

Colos. 1.  
2. Cor. 5.  
Ioan. 14.

Brentius.

Iesa. 9.  
Luc. 2.

Ioan. 3. 22.  
Luc. 1.

C      summa

summa & maxima illa beneficia, per incarnationem Christi nobis exhibita, ad amorem, tūm erga illū invitare, tūm propter eum, erga omnes homines, amicos & inimicos, peregrinos & domesticos, qui omnes jam nobiscū sub uno eodēq; capite, veluti membra unius corporis sunt. Ceterum si hoc à nobis impetrari & extorqueri nondum potest, age & ista cogitemus, animoq; perpendamus, Deum nempe nos non solū ab initio secundum similitudinē suam creasse, sed ipsummet quoq; in fine mundi nobis similem factū esse, & nostrā imaginem, similitudinem & naturam accepisse. Similitudo autem est mater & genetrix amicitiae & benevolentiae. Omne enim animal (inquit sapiens) diligit sibi simile, & omnis homo proquinquum suum. Omne animal generatim congregatur, & quisq; adjungit se sui simili: quin & peccatores diligentes se diligūt, teste Christo. Nōne igitur deberent verè credentes Christum Iesum amare & colere, qui eis similis factus est figuraq; ut homo repertus.

*Gen. 1.**Philip. 2.**Eccles. 13.**Luc. 6.*

Sed ne quis decipiatur & arbitretur se diligere

diligere

diligere Christum, cū tamen nihil minus  
 faciat, audi quid' nam dicat D. Ioannes:  
 Nos diligamus eum, quoniam ipse prior *1. Ioan. 4.*  
 dilexit nos. Si quis dixerit amo Deum, &  
 fratrem suū oderit, mendax est: Qui enim  
 non diligit fratrem suum, quem videt,  
 Deum quem non vidit, quomodo potest *Rom. 13.*  
 diligere? Quoniam autē dilectio nō ope- *1. Cor. 13.*  
 ratur proximo malum, imò nihil mali in *Zach. 8.*  
 animo & corde cogitat contra illū: sequi-  
 tur eos fraterno amore carere, qui proxi-  
 mum suum lædunt, verbis aut factis, aut  
 damnum inferunt illius vel corpori, vel  
 opibus, vel uxori, vel liberis, vel honorī  
 &c. Cæterum si amorem fraternū non ha-  
 bent, utiq; etiā amore Dei carent, adeoq;  
 & Christiana fide. Quo enim pacto fieri  
 posset, ut is qui verè credit filiū Dei homi-  
 nem factum esse, ullum hominem, præci-  
 puè autem Christianum hominē & fide-  
 lē, auderet molestare aut perdere? præser-  
 tim cūm sciat & credat, eum qui fidelem  
 aliquem hominem offendit aut spernit, *Zach. 2.*  
 Christi filij Dei pupillam tangere, imò *Acto. 9.*  
 ipsummet persequi, offēdere & spernere: *Luc. 10.*  
 Nam ita inquit ipse in Euangelio: Amen, *Matth. 23.*

Amen dico vobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis (hoc est filijs hominum, qui in me credunt) mihi fecistis: & quatenus non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. An' nō si quis minimum pedis tui digitum conculcat, id ipsum conquiritur os capitis tui, & inquit: quare conculcas me? IAC. Imò. IOAN. Sic etiā Christus, qui caput est suę Ecclesię, quę eius corpus est, vel minimi sui corporis membri ab altero offensi aut injuria affecti causā, haud secus suscipit, quā si sibi ipsi facta injuria fuisset. Quapropter videat quilibet, ne cuiquā injuriam inferat. Nam etiam si nunc ignorare velimus quid agamus, nec illū agnoscere cui contingit quidquid suis fit, tamen sentiemus in die judicij quando videbimus quem pupugerimus (ut inquit sacra scriptura) sed nostro perpetuo dāno, nisi hīc citō proximo nostro reconciliati fuerimus, Deūq; vera fide in Iesum Christū pro venia rogaverimus? Interea aut amemus nos invicē, nec deficiamus bonum faciēdo tūm erga omnes, maximē autem erga domesticos fidei, qui vna nobiscum  
mystici

Zach. 12.

Apoc. 1.

Math. 5.

2. Thes. 3.

Gal. 6.

mystici corporis Christi membra sunt. Tempore enim suo à Christo, huius corporis capite, amplissimã retributionem accipiemus. Nam ipse inquit: quicumque *Matth. 10.* ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ tantum nomine discipuli, Amen dico vobis, non perditurus est mercedem suam.

Sic igitur ô frater, sic inquã se invicem diligere, est Christum Iesum verũ Deum, & verũ hominẽ agnoscere. Nam omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christũ in carne venisse (inquit Ioannes) ex Deo est. *1. Ioan. 3. 4.* Deus autem charitas est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deũ. Qui peccat, non ex Deo est, & qui fratrem suum non diligit, Deũ non novit. Si non novit, quomodo igitur eum cõfitebitur? I. c. O quam efficax & fortis est fides in filiũ hominis, qui ex Maria virgine natus est, si hæc omnia facit & operatur quæ hactenus enumerasti, nempe quod hominẽ ita probum & justũ reddit, ut Deo, & hominibus, & sibi ipsi tribuat, quod justum est, & ratio postulat. Deo primũ, fidem etiam in omnibus alijs suis sermonibus,

C 3 pro-

promissis, & minis. Nam si efficere potuit, ut filius eius in una eadēq; persona Deus & homo esset (quod majus mirabiliusq; est, quàm si cœlum & terra conjungerentur, unumq; fierent) potest certè & alias, quæ oculis nostris æquè impossibilia videntur, atq; hoc signum & mirabile opus, quod Virgo concipit, paritq; filium, cui nomen sit Immanuel, hoc est, Deus nobiscum.

Proximo deinde (quemadmodū & in primis Deo) amorem & benevolentiam.

*2. Cor. 3. 6.* Sibi ipsi demum, id est, suo vasi & corpori quod nunc membrum Christi, imò templum Dei factum est) sanctificationem & honorem. IOAN. Benedicis, quapropter semper Deum orare debemus, ut fidē in nobis augere & alere velit: nam per fidē habitat Christus in cordibus nostris, ut indies fortior in nobis fiat, & nos in eo crescamus, usq; ad perfectam ætatē Christi. Ad hoc enim Deus hominem suscepit in se, ut & nos Deum suscipiamus in nobis, sicut ipse dicit: Manete in me, & ego in vobis. Si autē Christus in nobis est, & nos in eo, debemus, sicut ipse ambulavit, & nos

*Iesa. 7.**2. Cor. 3. 6.**2. Thes. 4.**Ephes. 3. 4.**Augustin.**Ioan. 15.**1. Ioan. 2.*



& nos ambulare, hoc est, eum sequi. Nulla alia natura se in membris exercet, nisi quæ est in capite. Qualis enim homo cælestis est, id est, Dominus de cælo, filius hominis, qui è cælo descendit, ac rursus in cælum ascendit, & etiam nunc in cælo est, tales sunt cælestes, inquit Paulus. Et quæ admodum terreni imaginem gestavimus, sic etiam cælestis imaginem portabimus. Propter quod (sicut & alibi inquit) suscipite vos invicem, quemadmodum & Christus suscepit vos in gloriam Dei: & per humilitatem animi alius alium præstantiorem esse judicet: non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed quæ aliorum. Is enim affectus sit in vobis qui fuit & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum constitutus, & habitu seu figura inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce hic docet nos Apostolus, quoniam modo Christiani pastorem magistrumque suum *ὁ δὲ υἱὸς καὶ πρόδρομος*, etiã in

1. Cor. 15.

Ioan. 3.

Rom. 15.

Philip. 2.

hoc quod homo factus est, sequi debeāt. Quod quidem fit, quando & ipsi nos exinanimus et humiliamus, ut proximo inferviamus, auxilium ei consolationemq; præbeamus, quemadmodū nobis etiam Christus infervivit, & ad nos in hūc mundum venit propter salutem nostram. Nobis enim exemplū dedit, ut deinceps ita cogitemus: Si Christus Dei filius, Dominus meus, Deus & redēptor meus adeo se submitit, ut formā servi acceperit, meq; tanto amore prosequutus fuerit, ut sanguinem suum pro me fuderit, idq; statim in infantia sua, cum jam primū octo dies attigisset, deinde etiam in cruce & aliās, cū tamen id facere non coactus, neque hoc pati dignus fuerit: Ego verò id facere debeo, nec tamen volo, proh pudor. Tūne (dixerit quispiam meritò) Christianus es? Indignus es, qui Vacca, Asinus aut Bos sis, quæ tamen rationis expertes animantes suo officio funguntur. Ecce tam bona est vacca, ut lac suū nō ipsamet ebibat aut perdat, neq; vitulum quem gestat ipsa devoret, sed præbeat lac, caseum & butyrum in hominis usum, eaq; omnia liben-

*Lutherus.*

libenter largiatur quib. homo sustentari potest, neq; ipsamet hisce utatur, sed bene cōtenta sit, si ei herba & pabulū detur, ut semper gestare & dare possit. Hic saltem discas coram vacca erubescere ac pudere te ô turpis, sylvestris, irrationalisq; sus, si à Domino & salvatore tuo discere nolis Christianè vivere. Vbi jam illi permanebunt, qui fures, latrones, prædones, avari, feneratores tyranniq; sunt & esse perseverant, quorū nunc totus terrarum orbis plenus est, qui furantur, latrocinantur, fænerantur, suos subiectos opprimūt & deglubūt, & id alijs ex ore rapiunt, ex quo vivere deberent. Tales nec nomine digni sunt, ut homines vocentur, imò nō meliores ipsis dæmonijs sunt. Nunquam adhuc tales rectè intellexerunt ob quam causam Deus homo factus sit. Ideò enim homo factus est primò, ut secundū hominem omnia patiēdo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret, nosq; Adami, adeoq; iræ filios, Dei filios faceret, & hæredes omnium cœlestium bonorum. Deinde ut homines rectè vivere doceret, corrigeret, eosq; in integrum restitueret,

*Augustin.**1. Pet. 2.*

imò ut nos (quos sanguine suo à vitijs atq; criminibus redemit) non solum auxilio doctrinæ & gratiæ, verùm etiã exemplo suo ad studiũ sanctitatis accenderet, ut nos non modò præcipientem Dominum, sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia provocantem, majore alacritate sequeremur, & justissimũ Dominum ac pium patrem secundum sententiam Beati Petri filij imitatione coleremus. Sic enim Beatus Petrus ait: Christus passus est pro nobis, nobis relinquẽs exemplũ, ut sequamur vestigia eius &c. IAC. Christus igitur, ut audio, non solum à Deo ad nos propter salutem nostram tanquã donum aut munus est missus, verùm etiã ut exemplum & imago nobis exprimenda datus & propositus? IOAN. Ita: Nam in eo duo illa simul inveniuntur, imago scilicet & expressa facies tum ipsius Dei erga nos, tum hominis erga Deum. Christus enim est caro & spiritus, Deus & homo, semen Abrahæ & Dei. Spiritus est, in quo divinæ naturæ indicium & vestigium visendũ nobis proposuit, in summa quid, quis & qualis sit Deus, quomodo erga nos

nos animatus sit, et quomodo se erga nos  
miseros vermiculos gerere velit, in car-  
ne sua expressum & manifestatū est. Hic  
nihil aliud est, quàm amor, auxilium, con-  
solatio, gratia, beneficiū, fides, cura, nulla  
ira, nulla invidia, nulla condemnatio, nul-  
lum proprium commodum, deniq; nihil  
nisi divina & benigna natura & benevo-  
lencia. Rursum est caro seu homo, in qua  
ostendit nobis, exemplūq; dedit quomo-  
do nos erga Deū gerere debeamus. Hinc  
mediator inter Deū & nos homines ap-  
pellatur, statq; inter cœlum & terram. Ita  
pariter in Christo tūm nos, tūm Deū inve-  
nimus. Hic repræsentat nobis figuram &  
Dei & hominis, docetque ut Deus erga  
nos animatus sit, & nos erga eū esse de-  
beamus. Vnde Paulus inquit, omnes the-  
sauros sapientiæ & scientiæ in eo abscon-  
ditos esse. Quapropter etiāsi omnes pro-  
phetiæ, libri & doctrinæ abolerentur, suffi-  
ceret tamen nobis Christi vita ad cuncta  
negotia, omniaque nobis tūm facienda,  
tūm omittenda. Si in aliqua re hæsitās, si  
quod ignoras, id omne in Christo invenies,  
vivam nimirum doctrinam, imaginem &  
exemplum, quomodo, quando, & quid

*Golos. 2.*

*Ioan. 1.**Hebr. 13.**Philip. 3.**1. Cor. 11.**Eccles. 7.**2. Ioan. 1.**Iesa. 53.**2. Pet. 2.*

agendū, intermittendum, sciendū, orandum, loquendū. Si de re aliqua dubitas, ecce in Christi vita & passione propositū tibi exemplum inuenies. Deniq; in eius vita (quæ etiam lux hominū nominatur) est perfecta demōstratio & forma omniū actionum & officiorū, quomodo scilicet te erga Deū affectus esse, & rursus ipsum erga te animatum esse tibi polliceri debeas. Hic apprehēdes & inuenies & Deū & te ipsum. Proponuntur nobis quidē in literis sacris sanctorum fideliumq; exempla ad imitandū, sed illa non imitari debemus, nisi quatenus ipsi Christi imitatores fuerunt, quemadmodū Apostolus Paulus manifestè testatur: Nā ex omnib. filiis hominum nullus planè est qui non vel aliquādo peccet, vel peccaverit. Hic homo autem Iesus Christus ex Maria natus, iniquitatem nullam fecit, neq; dolus fuit in ore illius inventus. Quocirca nos omnes eum pro vero scopo & signo vitæ habere debemus, & ad eum tanquam ad scopum aliquem collimare, omnesq; sagittas dirigere nostras. Nam ipse non solum vita & amor vitæ, verū etiam perfectum

fectum exemplum illius, in carne factus est. Omnes terrenas opes hic Dominus Christus, cum homo factus est, contemp-  
psit, ut nobis ostenderet eas contem-  
das esse, & omnia terrena mala passus est & tulit, ut ea nos ferre quoq; doceret, ac  
ita ostenderet nobis in illis felicitatem non esse quærendam, nec in his metuen-  
dam esse infelicitatem: In eo enim, quòd de matre natus est, quæ quamvis à viro intacta, conceperit, & semper intacta pu-  
raq; virgo permanferit, fabro tamé ligna-  
rio desponsata erat, omnem typhum atq; superbiam carnalis nobilitatis extinxit.  
Quod deinde in urbe Bethlehem natus est, quæ omnium civitatū Iudææ minima erat, docere voluit, neminē gloriari debe-  
re de terrenæ civitatis sublimitate. Quòd pauper factus est, cuius tamé omnia sunt, & per quē omnia creata sunt, ideo fecit, ne quisquam cum in eum crederet de terrenis divitijs auderet extolli. Postremò  
OMNIS ILLIVS ACTIO, EST NO-  
STRA INSTRVCTIO. Nemo posthac dicere debet, cum ad studiū pietatis exci-  
tatur & admonetur: Quis hoc facit: Ne-  
minem

*August.*

*Ioan. 3.**Bernard.**Cant. 1.**Ioan. 15.**Philip. 4.**Ioan. 6.**Ephes. 3.**Galat. 2.**Oecolamp.*

minem video hoc modo viventē, neminem novi qui hæc præstet, & huiusmodi: Nam ecce hic homo natus est ex Maria Evæ filia, qui omnem voluntatē Dei adimplet, & quæ placita sunt Deo facit semper. IAC. Benè dicis, si modò eum imitari possemus. Ipse est fortissimus heros, nos verò illius cōparatione, nihil nisi mihi feri nani sumus. IOAN. Credas solummodo, & dicas quemadmodum ille: Domine, inquit, scio me nequaquā posse pervenire ad te, nisi gradiendo post te, sed neq; hoc quidē, nisi adjumentū accipiam abs te: ideoq; precor, ut trahas me post te: Beatus siquidē, cuius est auxiliū abs te. Deinde ex animo cū Ecclesia canit: O princeps gloriæ, trahere me post te. Quemadmodum sine hoc principe Christo Iesu nihil facere possumus: ita vicissim ope eius & auxilio omnia. Quocirca si confidenter in eum credideris, non solum eius vitā imitari poteris, verum etiā ipse Christus & Christi vita in te erit. Impossibile autē est, ut Christus sibi ipsi dissimilis sit. Quapropter hodierno tempore in suis membris idē faciet, quod olim.

IAC.



IAC. Ipse per spatiū quadraginta dierum  
 jejunavit, ambulavit super mare, sicut su-  
 per terram, aquam in vinū convertit &c.  
 Hodie ne idē facient, qui in eum credūt?  
 Neminem unquam vidi, qui id fecerit.

IOAN. Intellige frater, cū de imitatio-  
 ne Christi loquimur & homines adhor-  
 tamur ut ambulent, sicuti Christusambu-  
 lauit, nos non loqui de ijs rebus, quibus  
 Christus divinitatē suam declaravit, sed  
 ea intelligere, quibus nos fidē, dilectio-  
 nem & innocentiam vitę commendavit, *Bullinger.*  
 & unicuiq; cuiuscunq; tandē officij con-  
 ditionisq; sit, bonū & pium exemplum  
 dare & proponere voluit. Eatenus debe-  
 bunt, optabunt, necesse habebunt, pote-  
 runtq; Christiani antecessorem suū liben-  
 ter imitari, id quod & omnino facient.

IAC. Ob quā causam hoc facere debent?

IOAN. Quoniam id jus æquumq; postu-  
 lat: Nobis enim id sæpenumero in sacro-  
 sancta scriptura cœlestiq; Dei verbo, & à  
 Christo ipso cōmendatur & præcipitur:  
 ob hanc etiā causam Christiani appella-  
 mur. Nemo enim Christiani nomen sibi  
 vendicare debet, nisi Christi doctrinā am-  
 plecti

*Augustin.**Eccles. 23.**Psal. 73.*

plecti & exemplum eius sequi velit: Si enim ipse Magister noster, & Pastor, & Dominus, & Deus, & Sponsus, & Dux, & Caput est, nos vero eius discipuli, oves, servi, populus, sponsa, exercitus & membra sumus: procul dubio iustissimum fuerit, nos ei obedire ac obsequi. IAC. Quare autē Christiani hoc facere optabunt atq; volent? IOAN. Quia nō solum pulchrum & honestum, gloriosum & laudabile est, verū etiam per bonum atq; utile. IAC. Quomodo Pulchrum? IOAN. Quā pulchrum, quamq; conveniens esset, si quis Christiani nomen vsurparet, & non Christianè, sed potius Antichristianè viveret? Turpissimum foret, si quis miles cuidam duci fidem dedisset, & postea ab eo deficiens sese ad hostes conferret: Sic etiā turpe est, imò longe turpius, si quis in sacramento baptismi promittat, se Christo, in cuius nomine baptizatur, vivere, servire & mori velle, & interim ne in minima quidē actione vitā suam cū vita Domini sui Christi cōformeret, nec ei serviat, sed potius huius mūdi vanitati, & diabolo principi eius. IAC. Quomodo vtile est homini?

ni? IOAN. Quoniam ijs qui eum sequun-  
 tur tot tantaq; bona promittuntur, dicit  
 enim: Amen dico vobis, quod vos qui se- *Matth. 19.*  
 cuti estis me in regeneratione, cum sede- *Luc. 22.*  
 rit filius hominis in sede maiestatis suæ,  
 sedebitis & vos super sedes duodecim, ju-  
 dicantes duodecim tribus Israël. Et rur- *Ioan. 10.*  
 sus: Oves meæ vocem meam audiunt, & *Apoc. 14.*  
 ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego  
 vitam æternam do eis: Et nõ peribunt in  
 æternum, & non rapiet eas quisquam de  
 manu mea. Itẽ: Si quis mihi ministrat, me *Ioan. 12.*  
 sequatur, & ubi sum ego, illic & minister  
 meus erit. Si quis mihi ministraverit, co-  
 honestabit eum pater. Et Paulus: Tu igitur *2. Tim. 2.*  
 feras afflictionem ut bonus miles Iesu *Rom. 8.*  
 Christi. Certus sermo: Nam si comortui *1. Pet. 4.*  
 sumus & convivemus, si simul cum eo pa-  
 timur, unã cum illo glorificabimur & con-  
 regnabimus. IAC. Quare autem Chri-  
 stum sequi necesse habemus? IOAN. Ut  
 nos in eo, & eius discipuli, hoc est, veri *Matth. 16.*  
 Christiani & filij Dei simus, & permane- *Mar. 8.*  
 mus. Nõ enim frustra inquit: Si quis vult *Luc. 9.*  
 post me venire, abneget semetipsum, &  
 tollat crucem suam & sequatur me: & qui  
 non

D non

*Ioan. 15.* non tollit crucem suã & sequitur me, nõ  
 potest esse discipulus meus. Itẽ: Omnem  
 palmitem in me non ferentẽ fructum, tol  
 ler eum (pater meus): si quis in me non  
 mãserit, ejectus est foras sicut palmes, &  
 exaruit, & colligunt eos, & in ignem con  
 ijiunt & ardent. *IAC.* Quomodo autem  
 Christum sequi possumus? *IOAN.* Non  
*Bernard.* statim uno momẽto (nemo enim repente  
*Matth. 11.* fit summus, hinc Dominus dicit: discite à  
 me) nec omnes pariter (nã alter alterum  
 studio & gratia præcedit) neq; etiam pro  
*1. Cor. 3. 15* prijs viribus, sed robore ac virtute Chri  
*Acto. 3.* sti eiusq; spiritus, cuius omnes verẽ cre  
*2. Cor. 3.* dentes participes sunt. Et quicunq; dicit  
*Ephes. 3.* se nihil boni agere, neq; Christum sequi  
*Philip. 4.* posse, is negat se credere, in Christo esse,  
*Rom. 8.* & Spiritum sanctum habere: Credenti e  
*Gal 3.* nim omnia sunt possibilia, inquit Domi  
*Mar. 9.* nus. Adhæc novi & ex Deo geniti homi  
*Matth. 11.* nis natura, voluptas, delectatio, studium,  
*1. Ioan. 5.* leve onus & suave jugum est benefacere,  
*Psal. 119.* à Christo discere rectẽ vivere, & in semi  
 tis eius ambulare: quemadmodum vice  
*Gen. 6. 8.* versa, veteri & Adamico homini jucũdi  
*1. Cor. 2.* tati & delectationi est peccare, & Christo  
 cœlesti

cœlesti homini adversari verbis, operi-  
 bus, voluntate, animo & cogitatione. In  
 summa, qui in Christum Iesum filiū Dei *Ioan. 14.*  
 & Mariæ credit, is ea opera faciet, quæ &  
 ipse facit (idq; secundum mensurā suam)  
 Non enim abs re sol justitiæ ortus est, sed  
 ut testatur D. Paulus: apparuit gratia Dei *Tit. 2.*  
 salutifera omnibus hominibus, erudiens  
 nos, ut abnegata impietate & mundanis  
 concupiscentijs, sobriè, justè & piè viva-  
 mus in præsentī seculo. IAC. Quibus au-  
 tem in rebus & quomodo poterit fidelis  
 homo Christū præcursorē suum sequi & *Hebr. 6.*  
 imitari? IOAN. Hoc ex parte in secundi  
 articuli explicatione dici solet, quomo-  
 do scilicet nobis imitādus sit in eo, quod  
 salvator, unctus, filius Dei, & Dominus  
 est. IAC. Potest ne in hoc etiā quis imitari  
 eum, quod conceptus est de Spiritu san-  
 cto, & ex Maria Virgine natus? IOAN. Po-  
 rest quidem aliqua ratione. IAC. Quomo-  
 do? IOAN. Cum vocē spiritus, hoc est, di- *1. Cor. 4.*  
 vinum Evangeliiū audit & è supernis ac *Ioan. 3.*  
 denuò, id est, ex aqua et spiritu renascitur *Luc. 24.*  
 in sancta Dei Ecclesia, quæ colūna & fun- *Acto. 10.*  
 damentum veritatis est, ad quam etiā de-

*1. Reg. 10.* scendit Spiritus sanctus, qui homines in  
*Ephes. 4.* ea existentes, renovat, atq; in alios homi-  
*Tit. 3.* nes mutat: Cuius sanctæ Ecclesiæ sancta  
*2. Cor. 11.* Maria figura fuit. Quemadmodum enim  
*Gal. 4.* Maria & Virgo & Mater est: sic etiã Eccle-  
*Augustin.* sia: Virgo quidẽm, propter verã & sincerã  
 fidem: Mater autem, propter viscera mise-  
*Gal. 5. 6.* rationũ & dilectionem. In Christo enim  
 Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq;  
 præputium, sed fides quæ per charitatem  
 operatur. Qui eã habet, nova creatura est,  
 & animatus sicut Iesus Christus anima-  
*Philip. 2.* tus fuit, quemadmodũ scribit D. Paulus.  
 I A C. Quomodo eum in sua passione, cru-  
 ce, morte, resurrectione & ad cœlos ascen-  
 sione imitari debemus? I O A N. Hoc in se-  
 quentibus articulis fidei, eorumq; expo-  
 sitione à quibusdam indicatur. I A C. Quo-  
 niam autẽ jam imitationis Christi in hoc  
 articulo, de eius incarnatione, sic mētio-  
 nem fecisti, ut intelligã ipsum omnibus  
 hominibus, imò vniverso gregi suo, &  
 singulis ovibus suis veram formam, nor-  
 mam & exemplũ in cõversatione ac vita  
 sua, quã in hoc seculo inter filios hominũ  
 duxit, proposuisse: idcirco lubẽter plura  
 de

de hac re audirem, loco conclusionis huius articuli de Nativitate Christi.

IOAN. Principio igitur audi, quo pacto se inter sese gerere debeant, qui in matrimonio collocati sunt, siquidē Christiani conjuges esse, ac se juxta eum vitę modū, quē eis Christus in vita factisq; suis proposuit, gerere velint. D. Paulus inquit: Mulieres viris suis subditę sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicuti & Christus caput est Ecclesię, & idē est, qui salutem dat corpori. Itaq; sicut Ecclesia subdita est Christo, ita & uxores viris suis subditę sint in omnib. (quę scilicet secundum Deum & honestē fieri possunt). Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiā, & semetipsum tradidit pro ea, ut illā sanctificaret, mundatam lavacro aquę per verbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiā, nō habentem maculā aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut esset sancta & immaculata. Ita & viri debēt diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit, nemo enim carnem suam unquam odio habuit, sed nutrit & fovet

*Officium conjugum Christianorum.*

*Ephes. 5.*

D 3 eam,

eam, sicut & Christus Ecclesiã, quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossib. eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna. Mysterium hoc magnum est. Ego autem loquor de Christo, & de Ecclesia. Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat. Vxor autem timeat virum suum.

*Officium liberorum Christianorum.*

*Ioan. 4. 5.*

*8. 12.*

*Matth. 26.*

*Luc. 2.*

IAC. Habent ne & liberi, qui sunt fructus eorum, qui matrimonio inter se coniuncti sunt, in Christo formã & modũ vivendi? IOAN. Habent. IAC. Quẽnam? IOAN. Christus voluntatẽ suã non quæsiuit, sed patris sui, qui eum misit, & hoc in omnibus sermonibus suis, operib. & passionibus. Honoravit patrẽ suũ, eumq; cognovit, verbaq; illius servavit. Hic erat cibus eius, hæc delectatio, hoc gaudium, omnia ea facere & pati, quæ pater ipsius volebat, & perficere opera eius. Descēdit idem cum parentib. suis Maria & Ioseph à Hierosolyma, venitq; Nazareth, & fuit eis subditus. Quin etiã in grauissima afflictione sua & passione, matris suę charissimæ

mæ



mæ haud obitus est, sed eam cum mortis suæ hora appropinquasset pio & dilecto viro Ioanni cõmendavit, quemadmodũ de eo testatur Evangelium. Sic etiam debent liberi parentes suos honorare, & eis obedire in Domino, hoc enim justũ est, nõ solum propter legẽ Mosis, in qua hoc gravissimè liberis mādatur, & propter legem naturæ, quã omnes in sinu gerimus, & in cordibus nostris scriptũ invenimus, sed etiã & præcipuè propter exemplum Christi Domini nostri, qui nobis & propter nos infans factus est, pannis involutus, & in præsepio positus.

Ioan. 19.

Ephes. 6.

Rom. 2.

Luc. 2.

IAC. Inveniunt ne etiã parentes in hoc Domino nostro exemplũ, secundũ quod se gerere debeãt erga liberos suos? IOAN. Inveniunt. Ipse enim, non solũ matri cõparatur, sed etiã æternus pater à Propheeta nominatur, quia ex eo tanquam incorruptibili semine & verbo Dei renascũtur filij regni, quos ipsemet liberos suos, filios & filias nominat. Hic Christus autẽ filios suos nõ ad irã provocavit, nam mitis est, & corde humilis, sed talẽ se erga eos p̄buit, qualẽ se gallina erga pullos suos:

Officiũ Christianorum parentum.

Iesa. 9. 66.

1. Pet. 2.

Iaco. 1.

Matth. 13.

Hebr. 2.

Matth. 9.

Ioan. 5. 21.

Matt. 11. 23.

D 4 ipse

ipse eos nutrit & educavit in disciplina  
 & correptione Dei, hoc est, nō solūm eis  
 corporis alimenta suppeditavit, ut nihil  
 unquā defuerit illis, verūm etiā eorūm  
 corda & animos, optima vivaq; doctrina  
 et salutifera objurgatione & castigatione  
 boni s̄q; exemplis instituit. Idem omnes  
 Christiani parentes facere debēt, nisi ( ut  
 inquit D. Paulus) fidem abnegare velint.

*Iesa. 1.*  
*Luc. 22.*  
*Ephes. 6.*  
*Colos. 3.*  
*2. Cor. 12.*  
*1. Timot. 5.*

*Officiū Chri-  
 stianorū ser-  
 vorum &  
 subditorum.*

IAC. Quomodo habēt servi, ancillæ &  
 subditi exemplum et formam, secundum  
 quā rectē Christi vestigia sequi possint?  
 IOAN. Christus, licet Dominus esset, for-  
 mam tamen servi accepit, nec venit minī-  
 strari, sed ministrare: quod quidē fideliter  
 sapiēterq; executus est, & in omni humi-  
 litate ac obedientia Deo & hominib. ser-  
 vivit. Neq; verbis solū docuit, ut Cæsari  
 (hoc est, magistratui) detur, quod Cæsaris  
 est, sed & ipsemet ei dedit quod ejus erat  
 (quemadmodum ipsius parentes quoq;) imō  
 etiam tributū (quod tamen non de-  
 bebat) solvit, idq; ut nemini offendiculo  
 esset. Idem etiam facere debent, qui sunt  
 sub jugo servitutis & honesti cives, ut no-  
 men Domini ab ipsis & propter ipsos nō  
 blasphemetur.

*Rom. 13.*  
*Tit. 2.*  
*3. Tim. 6.*

blasphemetur, sed potius in omnib. ornetur. IAC. Sed quid si Domini heriq; intratabiles dyscoliq; sint. IOAN. Nihilominus eis obediendum fuerit, hæc enim gratia est (inquit D. Petrus) si propter Dei cōscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Quæ enim est gloria, si quum peccantes a lapis cædimini suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis. Hæc em̄ est gratia apud Deū. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est p̄ nobis, nobis relinquens exemplū ut sequamini vestigia eius, qui peccatum nō fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cū malediceretur non maledicebat (ut nūc quidam servi & ancillæ adversus dominos suos murmurāt & responsant, nec vel ad levissimum verbum tacent, quamvis jure & meritò objurgētur) cū pateretur, nō cōminabatur (quæadmodū rursus nōnulli in obedientes ac Christi nomine haudquaquā digni cives & subjecti faciunt, cū à magistratu puniuntur, & propter hoc civitati, ditioniq; toti nescio quæ mala minētur) tradebat aut vindictam judicanti justè, id est, Deo, cujus vindicta est, quam

D 5 ipsi

1. Pet. 2.

1st. 2. 3.

1ere. 27.

1. Tim. 6.

officium do-  
minorum &  
principum  
Christiano-  
rum.

1. Iudic. 9.

1. Iudic. 15, 6.

ipsi rapere noluit, quemadmodum permul-  
ti infideles servi inveniuntur, qui dominis  
suis sua furantur & rapiunt contra sanam  
Apostoli doctrinam, quam a Christo accepit.  
IAC. Si igitur omni humane creature, nec  
solum bonis placidisque dominis & supe-  
rioribus, verum etiam a superioribus pravisque  
obediendum est: quanto magis honor &  
obedientia exhibenda pijs, fidelibus ac cle-  
mentibus dominis? Io. Tu dixisti: qua de re  
D. Paulus inquit: Qui fideles habent do-  
minos, non contemnant, quia fratres sunt,  
sed magis seruiant quia fideles sunt & di-  
lecti, quia beneficii participes sunt.

IAC. Quodnam verum contra habent do-  
mini & huius seculi gubernatores exem-  
plum officii sui, vitæque suæ in Christo filio  
hominis, sibi propositum? Io. Pulcherri-  
mum sanè: Utinam ij saltim, qui Christianos  
magistratus, principes, dominosque se esse  
profiterentur, secundum hoc exemplum sese ge-  
rerent. O quanto melius se res in hoc secu-  
lo haberent, quam sese pro dolor habent.  
Christus enim seipsum in munus regium non  
impresit veluti ambitiosus rubus. Ipse  
enim est vera vitis, pinguis oliva, dulcissi-  
ma

ma ficus: qui cū cognovisset, q̄ venturū  
essent, ut raperent & facerēt eum regē, fu-  
git in montem ipse solus (ut scribit Ioan-  
nes). Postquā verò à Deo patre suo cœle-  
sti rex factus est, & in hūc mundū missus,  
venit humilis, mansuetus sedēs super ali-  
nam, nec se gessit p̄ crudeli tyranno, sed  
pro iusto mansuetosq; Dño & Servatore  
sine respectu personarū. Acquē enim hu-  
maniter paterneq; se erga pauperes, mise-  
ros, infirmos, ignaros ægrososq; gessit,  
quā erga sanos, doctos, dynastas, poten-  
tes, opulentos, imò longè humanius, tan-  
quam erga eos, qui ope sua & auxilio ma-  
gis indigerent. Et quamvis Dñs omnium  
dominorū esset, nihilominus tamē servis  
suis & discipulis inservivit, imò pedes eo-  
rū lavit. Idē facere debent omnes dñi &  
præfecti, nec interim oblivisci, qđ & ipsi  
habeant Dñm in cœlis, ut inq̄t D. Paulus.

I A C. Quódnam exemplum habent pa-  
stores & doctores populi in Christo sum-  
mo pastore et doctore à Deo missō, cui si-  
miles fieri debeāt? Io. Nemo sibi ipsi usur-  
pat honorē, sed qui vocatur etiam à Deo,  
quemadmodū & Aaron (inq̄t Apostolus)

Ita

Psal. 2.

Matt. 21. 4.

Zach. 9.

Matth. 9.

Ioan. 13.

Colof. 3.

Officium pa-  
storum & do-  
ctorum Chri-  
stianorum.

Hebr. 5.

Ita & Christus non semetipsum glorificavit, ut fieret pontifex, sed is q̄ dixerat illi: *Psal. 2. 3. 10* Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut et alibi dicit: Tu es sacerdos in eternū secundum ordinem Melchisedeck: Neq; em̄ à meipso veni, sed Deus me misit, inquit Dñs ipsemet. Item: Ego non quæro gloriam meam, sed patrē honoro. Item: Qui à semetipso loquitur, gloriā propriā quærit, qui aut̄ quærit gloriā ejus, qui misit ipsum, hic verax est, & injustitia in illo non est. Item: Ego ex meipso non sum loquutus, sed qui misit me, pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio, qđ mandatū eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor. Iesus (inquit Evangelista) docebat eos. ut habens autoritatē, & non sicut scribæ, ipse docuit, & operatus est. Fuit lux mundi, fuit verax, & irreprehensibilis: serid̄ pro suis oravit. Homines ad pœnitentiā & fidē adhortatus est. In omni officio suo fidelis fuit. Ipse enim discipulis suis dicit: Quæcunq; à patre meo audivi, ea vobis manifesta feci. Et patri: Quæ verba mihi dedisti, eadē eis dedi.

*Joan. 7. 8.**12.**Matth. 7.**Acto. 1.**Joan. 1. 8.**12. 17.**Hebr. 5.**Mar. 1.**Joan. 15.*

dedi. In summa: Ego sum pastor bonus  
 (inquit) & animam meam pono pro ovi-  
 bus. Sic etiã se omnes veri cõcionatores  
 & Ecclesiæ ministri gerere debent: non  
 ante Christũ venire: nec currere antequã  
 mittantur: loqui antequã audiant: magi-  
 stri esse, & docere velle, priusquã discipu-  
 li sint, & didicerint: non mali exempli si-  
 nistra manu, secus & extra cathedram, mi-  
 sero populo iterum auferre, quod dextra  
 bonæ doctrinæ tradiderũt, sed attenti ad  
 lectionẽ, & apti ad docendũ esse debent,  
 ac vita, moribusq; irreprehensibiles: Chri-  
 stum sequi, nõ proprium suum spiritum:  
 Domini sermonem annunciare, nõ pro-  
 pria somnia, non prophetias mendaces,  
 non hominum leges: Dei honorem, et Ec-  
 clesiæ commodum querere, non laudem  
 & honorem corã hominibus, & propriũ  
 lucrum: non pigri & inertes esse, sed gra-  
 ves & fideles, in officio suo exequendo:  
 vetera & nova è thesauro suo deprome-  
 re: pœnitentiam erga Deum, & fidẽ in Ie-  
 sum Christum prædicare. Non semper de  
 bonis operibus loqui, ne increduli ope-  
 rarij, ex auditoribus fiant, & ex Christo,  
 Moses,

*Ioan. 10.**1. Tim. 3.**Tit. 1.**Iere. 23.**1. Tim. 2. 4.**Ezech. 13.**Matth. 28.**1. Cor. 10.**Gal. 1.**1. Cor. 4.**Rom. 12.**Colos. 4.**Matth. 13.**Acto. 20.**Lutherus*

Moses, ex gratia, opus & meritū fiat: neq; rursus duntaxat solam fidem docere (quę tamen meritò tanquam fundamentum, magna cum gravitate inculcari debet) ne falsi Christiani, & ignavi fideles, qui sine ullo opere bono sint, inde emergāt: assidue pro omnibus orare, & gratias agere: neminē offendere, ne eorū ministerium blasphemetur: sermonem veritatis rectē secare, nec animas occidere, quę occidende nō sunt: eisq; vitā promittere, pacemque annuntiare, quibus non promittenda est, sed ligare, quod ligatū esse debet, & solvere, quod solutū esse debet: stultas quæstiones & genealogias, cōtentiones & pugnas legis devitare, quę invtiles sunt & vanæ: acquiescere sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: instare deniq; arguere, obsecrare, increpare, consolari, idq; in omni patientia & doctrina.

*Officiū Christianorum auditorum.* IAC. An nō etiā plebs & auditores, qui verbo Dei, & pura doctrina institui debent, & discere cupiunt, in Christo exemplū inveniunt? IO. Inveniunt: Dñs enim Iesus, nō solūm in infantia sua, à parentibus

1. Tim. 2.

1. Thes. 2.

2. Cor. 6.

2. Tim. 2.

Ezech. 13.

Iere. 8.

Ioan. 20.

Tit. 3.

1. Tim. 6.

2. Tim. 4.



bus suis, se Hierosolymã adduci sinit, ut  
 in tēplo Domino sisteretur, ut pro eo fie-  
 ret, sicut scriptum erat in lege Domini: *Luc. 2.*  
 sed etiam in pueritia sua, cū duodecim  
 annos natus esset, ipsemet ivit Hierosoly  
 mam, in die festo Paschæ, & cū à paren  
 tibus suis quasi perditus esset, non alibi  
 repertus fuit, quàm in templo, & in his,  
 quæ patris sui erant, quemadmodum D.  
 Evangelista de eo scribit, ac dicit: Et factū  
 est post triduum invenerūt illum in tem-  
 plo, sedentem in medio doctorū, audien-  
 tem illos, & interrogantē eos. Item: Iesus  
 proficiebat sapientia & ætate, & gratia  
 apud Deum & homines. Ecce quē Deus *Matth. 17.*  
 cœlitus emissa voce iussit audiri, hic i- *1. Cor. 1.*  
 psemet alios audit, & qui sapientia ipsa  
 est proficit in eadem. Et quidē cū esset  
 filius Dei (inquit Apostolus) didicit ex *Hebr. 5.*  
 eis quæ passus est obedientiam: & cōsum-  
 matus, factus est omnibus obtemperan-  
 tibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus  
 à Deo pontifex juxta ordinem Melchize-  
 deck. Vellemus ne igiturnos crassi, ru-  
 des ac stupidi homines, pigri esse ad au-  
 diendum, negligentes ad discendum? &  
 semper

semper Ioannes in eodē manere, & hoc anno, ut præterito, hac die sicut hesternā, à concione, ut ante concionem, ac nō potius ipsi quoq; prædicationem verbi Dei sedulò audire, ut indies doctiores evadamus, in rebus ad gloriā Dei & salutis nostræ profectū pertinentibus? Audiens sapiens (inquit Salomon) sapientior erit, et intelligens industriam possidebit. Ideo etiam nos sæpè verbū Dei audire debemus, ut crescamus in gratia & cognitione Domini nostri & salvatoris Iesu Christi, quemadmodum admonet D. Petrus.

*2. Pet. 3.* Declaratio enim sermonū Domini illuminat, & intellectum dat parvulis, & qui dies noctesq; in ea mediatur, sapientior reddetur. Dicit alicubi Salomon (quē pater suus David sapienti viro, hoc est, sub manum Nathan prophetæ misit, idq; statim in juventute sua) Qui cū sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. Quocirca semper cū ijs versari velimus, à quibus boni aliquid discere possumus, & nos ab improbis, eorūq; colloquijs subtrahere: Corruptunt enim bonos mores colloquia prava. Præterea

*Proverb. 1.**2. Pet. 3.**Psal. 119.**2. Reg. 12.**Prover. 13.**1. Cor. 15.*

terea

rerea non solum libenter in Christo scho-  
lam spiritualeq; auditorium, id est, ad sa-  
cras conciones ire debemus inq; domum  
orationis, sive aedes Dei patris nostri, tan-  
quam boni & dilecti filij (mali enim filij  
extra domum libenter vagantur) idque  
juxta exemplum Christi, qui multum & fre-  
quenter in templo fuit: neq; solum liben-  
ter apud eos esse & sedere, qui nos infor-  
mare & docere possunt, sed etiam eorum  
doctrinam, admonitiones, objurgationes  
& consolationes aequo animo ferre & su-  
scipere, sicut scriptum est: Sufferte verbum  
solatij sive sermonem exhortationis: atq;  
iterum: Disciplinam Domini, fili mi, ne  
abijcias, nec deficias, cum ab eo corripie-  
ris. Si enim Christus Iesus filius Dei conso-  
lationem Angeli, qui ei in monte olivarum  
apparuit, & confortavit eum, non contem-  
psit, sed proculdubio suscepit: quare igitur  
nos puderet doctrinam & consolationem  
a nobis invicem accipere? Quisnam  
aegrotus tam morosus & impatiens est, qui  
non libenter ab alio audiat, quid sibi agen-  
dum sit, ut dolorem suum & morbum mi-  
tigare paululum atq; minuere possit? Aut  
E quis

*Bernard.**Luc. 15. 19**Hebr. 13.**Prouerb. 30**Luc. 22.*

quis est, qui maculá aut sordes in facie habens ab altero admonitus, ut abstergat, mali cōsulat? Aut quis est, qui si tunicam suá inverterit ac pro posterè induerit, accedat autem puer, & moneat eum, ut tunicá rectè induat, id iniquo animo ferat? Quátò igitur minus iniquè ferre, aut irasci debemus, si quis nobis nostra vitia, nostrosq; defectus & pravos mores in vita nostra officioq; nostro demōstret? Accertissimū est, eum qui non æquo animo fratris sui admonitionem, doctrinam, objurgationem & consolationem fert, sapientem neq; esse, neq; unquá futurum. Nam inter alia, quæ insipientes & stulti faciūt, & hoc canit & enumerat propheta David: Consilium inopis confudistis. Vnde & filius ejus Salomon inquit: Noli arguere derisoré, ne oderit te, argue sapientem, & diliget te. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce justū & festinabit accipere. IAC. Mihi quosdam Pharisæos & superbos homines, dū hoc proverbium recitas, in memoriam revocas, qui dicunt: Nos videmus, neq; ullius doctrina indigemus: Satis superque ipsi scimus

*Psal. 14.*

*Prover. 9.*

*Ioan. 9.*

*Apoc. 3.*

mus quid credendū & quomodo vivendum sit: possum equidem domi meæ legere scripturas, quid opus est ire in templum & audire conciones? jam id ipsum scio quod prædicabitur: Idē nunc sæpius audiui, quare semper eandē cantilenam audirem? Iam dudum intellexi & scivi, quomodo me gerere, & qd agere, quidq; omittere debeam: plus quàm necesse aut opus mihi est, scio: & huiusmodi. Si etiā ipsi iusti ac sapientes docendi, instituenti & objurgandi sunt, utiq; eis necessaria fuerit objurgatio, doctrina, institutio & consolatio: si autē his necessaria est: certē isti qui ea dicunt, aut cogitant, quæ supra enumeravi, neq; sapientes neq; iusti sunt.

IOAN. Benè: Scis tu autem quare id eis utile necessariumq; sit? Iac. Id ex te audiam. IOAN. Primò, quoniam Dei summum mādātum est, ut homines verbum eius diligenter audiant, ac ita Domino suo in hoc debitam obedientiam & cultū præstent. Secūdo ratione verbi ipsius, qd Spiritus sancti organum est per quod in interiore homine operari solet, ut ad Dei imaginem reformetur. Tertiò, eis ad

*Ezech. 30**2. Pet. 1.**1. Ioan. 2.**Iesa. 1.**Ephes. 3.*

*Philip. 3.**Ioan. 13.**Luc. 12.**1. Cor. 13.**Philip. 3.**1. Corin. 9.**Apo. 12.**Iob. 1.**1. Pet. 5.**Lutherus.**Apo. 12.**Rom. 16.*

hoc utile & necessarium est, ut in accepta doctrina certiores & tutiores reddantur, eandem non rursus oblivioni tradant, & insuper discant juxta id vivere & facere quod sciunt, ne fortè, nisi id fecerint quod sciunt, tantò graviores pœnas luant: item ut ne tantùm inchoatam cognitionem nõ iterum perdant, sed etiam in eadem crescere & perficere possint: Nemo em̄ ad huc omnia novit: nemo perfectam scientiam habet, ea non tam facilis est, ut eam quis tam citò discere & appræhendere queat: Nos nimis longè à Deo discessimus, nimisq; profundè cecidimus, nimirum ab altissimo ad infimū usq;, hoc est, à Deo patre cœlesti, ad infernalem diabolum, qui nos seduxit, neq; adhuc quiescit, sed obambulat, quærens quem devoret. Quin & hoc scire debet Christianus (sicut quidam quodam in loco scribit) se in loco dæmoniorum sedere, & diabolum (qui in hisce nostris postremis dieb. majorem iram habet, quam antea unquam, sciens quod modicum tempus habeat, quodq; brevi quoq; ex terra ei discedendū fuerit, sicut prius è cœlo dejectus est) sibi

sibi propiorem esse, quàm tunicam suam,  
aut indusium, imò propiore, quàm pro-  
priam manum, eumq; nos circumire, no-  
bisq; perpetuò contra eum pugnandum  
esse, sicut jam tritū illud sermone prover-  
bium testatur: Non opus est ut diabolum  
super hyperthyron pingamus: Si ad Ada *Gen. 3.*  
mū & Evam in paradiso venit: si ad alios  
etiam filios Dei venit, imò ad Christum *Luc. 8.*  
ipsum, si inquam ad eos venit, proculdu *Math. 4.*  
bio & ad te ô frater, & ad me, & ad queli-  
bet hominē venire potest. Quocirca ne- *Philip. 3.*  
minem tædeat aut pigeat sepè eadem au *Luc. 18.*  
dire, frequenter conciones visitare, sepè, *1. Thes. 5.*  
imò semper orare, universam armaturam *Ephes. 6.*  
Dei assumere, & gladium spiritus (qui est  
verbum Dei, quo etiam Christus Satha-  
nam vicit & abegit) semper è vagina de-  
promere, ne rubiginem contrahat, & po-  
stea, cum opus fuerit, exire nequeat, hoc  
est, sepè & libenter in verbo Dei, audien *Rom. 10.*  
do, cogitando, meditando, loquendo se *Luc. 2.*  
exercere. IAC. Ad quid præterea doctri- *Psal. 1. 119*  
na & institutio pio homini bona & ne-  
cessaria est? IOAN. Ut in ea confirmetur, *Acto. 14.*  
ut in fide permaneat, & ad finē usq; perse *Ezech. 3. 33*

*Colof. 2.**Matth. 12.**2. Pet. 2.**Philip. 3.**Apoc. 22.**Officium pauperum Christianorum.**Matth. 4. 8.**Ioan. 19.*

veret, ne à pietate sua desistat, ne confusus in iustitia sua faciat iniquitatem, & in iniquitate sua moriatur: ut adversus falsas opiniones semper pugnare possit: ut in recta bonaque via (quæ Christus est) maneat, in eo quod adeptus est, inque innocentia & pietate sua constanter pergat: à peccato, scelere & scádalo sibi caveat: ut adhuc magis pius, justus & sanctus fiat, & in æternū vivat. Ex his aut̄ facile videre licet quātōpere doctrina & castigatio homini ignaro, impio & injusto necessaria sit. Sed pergemus nunc amplius ostendere, quemadmodū Christus filius Dei et hominis omnibus hominib. exemplū sit piæ & sincerę vitæ. Si quis pauper sit, & cupiat sic se gerere, ut benè recteq; vivat, & Deo placeat, hic idē faciat, quod Christus (in quo Deus sibi cōplacuit) fecit. Iac. Quid igitur fecit? IOAN. Cū esuriret & sitiret, nec haberet ubi caput suū reclinare posset, non furatus est, neq; murmuravit, neq; impatiens fuit, sed id lubenti patienteq; animo passus est: neq; insuper Sathanā adorare voluit, eiq; servire, ac facere quod Deus nusquā præcepit,



cepit, ut dives fieri posset, neq; etiam voluit (quamvis potuisset) ut ignis de cælo caderet, & Samaritanos consumeret, qui eū hospitiō excipere nolebant: sicut nūc quidam pigri & impatientes mendici faciūt, qui nisi eis illicō detur, sicuti petūt, aut id quod petunt, maledicunt, & eos qui non faciunt ipsis, aut dant pro sua libidine, execrantur. Nemini etiam oneri fuit, sed postquā animadvertit, se quibusdam non acceptum, sed ingrātū esse, manere cum illis noluit, contra eorū voluntatē, sed discessit, sicuti à Gergasenis, qui putabāt (ō cæcos & dementes homines) sibi cum Iesu Nazareno pereundum esse. Præterea æquè gratus fuit, pro exiguo & vili ac pro magno & precioso, sicut scribit Marcus, & dicit: Ipse (Iesus scilicet) accipiens septem panes, quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ, & habebant pisciculos parvos: & cum benedixisset, iussit apponi & hos: Sic omnes pij Lazari & Christiani pauperes facere debent, & sæpè Tobæi doctrinæ meminisse, qui dicit: Noli timere fili mi, pauperem

*Luc. 4. 9.**Matth. 8.**Mar. 8.**Luc. 16.**Tob. 4.*

E 4 quidem

*Joan. 13.**1. Cor. 4.**Officium di-  
vitem Chri-  
stianorum.**Psal. 16.**Acto. 2.**Psal. 18.**Hebr. 2.*

quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deū, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè. Sanctorum item Apostolorū meminisse debent, qui eis doctrinæ & consolationis speculum Domini sui, qui eos misit, & supra quem ipsi nō fuerunt, pulchrè ante oculos posuerunt. Sic enim scribūt D. Paulus & Sosthenes frater ad Corinthios: Usq; in hanc horam, & esurimus & sitimus & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operātes manibus nostris: Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tanquā purgamēta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usq; adhuc.

IAC. Quomodo autem divites se gere-  
re debent ut ipsorum mores ad exemplum  
sanctissimi filij hominis Domini nostri  
Iesu Christi conformentur? Io. Ita, ut ni-  
hilominus in fide & amore Dei perman-  
neant, sicut & Christus permansit: Dicit  
enim, providebam Dominū in cōspectu  
meo semper: quoniam à dextris est mihi,  
ne cōmovear. Et rursus: Ego ero fidens  
in

in illo: Itē manete in amore meo: si serva- *Ioan. 15.*  
 veritis mandata mea, manebitis in amo-  
 re meo, sicut ego patris mei mandata ser-  
 vavi, & maneo in eius dilectione. *IAC.*  
 Quinam igitur divites nō in fide & amo-  
 re permanent, ideoq; Christi exemplum  
 non sequuntur? *Io.* Id ex D. Paulo & Io-  
 anne discite, quorū ille quidem ita inquit:  
 Qui volunt ditescere, incidunt in tenta- *1. Tim. 6.*  
 tionē & laqueum, & cupiditates multas,  
 stultas & noxias, quæ demergunt homi-  
 nes in exitium & interitum. Siquidem ra-  
 dix omniū malorum est studiū seu cupi-  
 ditas pecuniæ, quam quidam dum appe-  
 tunt, aberraverunt à fide, & seipso implicaverunt  
 doloribus multis. Hic autem di- *1. Ioan. 3.*  
 cit: Qui habuerit substantiam huius mun-  
 di, & viderit fratrem suum egentē, & clau-  
 serit viscera sua ab eo: quomodo chari-  
 tas Dei manet in eo? De istiusmodi incre-  
 dulis & impijs divitibus, sacra scriptura  
 multis in locis verba facit. Inquit enim:  
 Væ cui conjungitis domū ad domum, & *Iesa. 5.*  
 agrum agro copulatis, usq; ad terminum  
 loci: unquid habitabitis vos soli in me-  
 dio terræ? Et, Agite nunc divites, plorate, *Iaco. 5.*

E 5 ululan-

ululantes in miserijs vestris, quæ adve-  
nient vobis. Divitiæ vestrae putrefactæ,  
& vestimēta vestra à tineis comestafunt.  
Aurum & argentum vestrum erugnavit,  
& ærugo eorū in testimoniū vobis erit,  
& exedet carnes vestras, sicut igni. The-  
saurizastis enim in novissimis diebus. Ec-  
cē merces operariorum, qui messierunt  
regiones vestras, quæ fraude non est red-  
dita à vobis, clamat: & clamores eorū in  
aures Domini Sabaoth introjerunt. Epu-  
lati estis super terram & lascivistis, enu-  
tristis corda vestra, ut in die occisionis,  
condemnastis, & occidistis justum, & nō  
restitit vobis &c. Non sic se gessit Chri-  
stus, dives ille, nobilis, illustris & cœle-  
stis princeps. Sic em̄ scribit de eo D. Pau-  
lus: Nostis beneficentiam Domini nostri  
Iesu Christi, quod propter vos pauper fa-  
ctus sit, cū esset dives (vniuersa enim ter-  
ra misericordia & bonitate eius plena  
est: idem quoq; omnium constitutus est  
heres) ut vos illius paupertate ditescere-  
tis. Neq; etiā sic se gerūt sancti eius. Sciūt  
enim ex ipsius doctrina, eos qui fiduciam  
habent in pecunijs sibiq; reponūt thesau-

ROS

Luc. 19.

1. Cor. 8.

ps. 33. 119

Hebr. 1.

1. Cor. 10.

Luc. 12. 16

ros in terra, nec erga Deum divites sunt, sed pauperes negligunt, neq; eis quidquam largiuntur: Mammonæ serviunt eiq; adhærent, Deum verò negligunt & oderunt: sciunt, inquam, tales jam nunc suam consolationem accepisse, inq; regnum cælorum ingredi non posse, sed eis ad inferos descendendum esse. Quocirca illi clementissimum Dominum suum Iesum Christum sequuntur, & salutari ejus doctrinæ accedunt, ubi inquit per Apostolum suum Paulum: Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublimè sapere, neq; sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.

IAC. Nullumne nobis Christus filius hominis exemplum dedit, in quo quis videre possit, quomodo se in gaudio aut tristitia tractare debeat? IOAN. Dedit. In hunc siquidem modum de eo scribit D. Lucas: In eadè hora exultavit spiritu Iesus, & dixit: Cónfiteor tibi pater, domine cæli

Math. 6.

Luc. 6.

Sap. 5.

1. Tim. 6.

Officiū Christi  
suarum  
gaudentium

Luc. 19.

&amp;

Mat. 23.

& terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Item D. Ioannes: Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Hic vides causas, ob quas Christus gavisus sit, & quomodo se in gaudio suo gesserit. Gavisus est, quâdo homines ad fidem accesserunt, & per fidem bona opera fecerunt, fideliterq; secundum mandatum suum ad gloriam & honorem patris, officio suo functi sunt:

Luc. 15.

Gavisus est repertis ovibus, quæ prius amissæ erant, nec non agentibus peccatoribus pœnitentiã. Caritas enim non gaudet de injustitia, sed congaudet veritati.

Cor. 13.

Qua de re inquit dilectus Christi discipulus Ioannes: Majus ijs non habeo gaudiũ, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare. In eo autem quod gavisus est, & exultavit, non solum Dei patris sui non oblitus fuit, verum etiã ei maximas gratias egit, eumq; celebravit pro beneficijs alijs hominibus collatis, non secus ac si sibi ipsi benefactum fuisset, pro ingenio

Ioan. 1.

veræ charitatis, quæ gaudet cum gaudentibus. Homines plerumq; solent hilari ani-

Rom. 12.

Cor. 13.

mo

mo esse, cū edunt & bibunt, paucissimi autē sunt, qui hoc faciant sicut Christus, qui nunquam comedit, ne panē quidem hordeaceū, quin Deo gratias ageret, aut hymnum caneret. Idem quoq; cibo sumpto non surrexit ad ludendum aut saltandum, sicut olim fecēre Iudæi, atq; etiā his temporibus nonnulli Christiani faciunt, & loco gratiarum actionis tripudiant & saltant summa cum immodestia & petulantia, non secus ac si furiosi aut hirci essent. Hujusmodi vanum & insanum gaudium in Christo nūquam fuit, neq; etiam apud verē pios & fideles Christianos reperietur, præsertim hisce postremis & periculosis temporibus, quę magis genuflexionem & orationē postulāt, quam tympana, tripudia & saltationes. IAC. Verē dicis: Vix em̄ vna pœna cessat quin mox altera sequatur, sicut etiam nec peccatorum finis ullus est aut modus. Recordor nunc eorum, quæ Cicero in oratione pro Murena dixit de Saltatione. Bone Deus, si hodie viveret & Christianus esset, quid diceret? Hæc enim sunt verba ejus: Saltatorem appellat L. Murenam

Cato,

*Ioan. 6.**Matth. 26.**Exod. 3 1.**1. Cor. 10.**Luc. 2 1.**Hose. 4.*

Cato, maledictum est: si verè obijcitur ve-  
 hementis accusatoris: sin falsò, maledici  
 conviciatoris: quare cum ista sis authori-  
 rate, non debes Marce Cato arripere ma-  
 ledictum ex trivio, aut ex scurrarũ aliquo  
 convicio. neq; temere consulem populi  
 Romani saltatorẽ vocare, sed conspiciere  
 quibus præterea vitijs affectum esse ne-  
 cesse sit eum, cui verè istud obijci possit.  
 Nemo enim ferè saltat sobrius, nisi forte  
 insanit: neq; in solitudine, neq; in convi-  
 vio moderato atq; honesto: intempestivi  
 cõvivij, amœni loci, multarum deliciarũ  
 comes est extrema saltatio. Tu mihi arri-  
 pis id, quod necesse est omniũ vitiorum  
 esse postremum: relinquis illa, quibus re-  
 motis hoc vitiũ omnino esse non potest.  
 Nullum turpe convivium, nõ amor, non  
 commessatio, non libido, non sumptus  
 ostenditur: & cum ea nõ reperiantur, quæ  
 voluptatis nomen habent, quæq; vitiosa  
 sunt: in quo ipsam luxuriam reperire non  
 potes: in ea te umbram luxuriæ repertu-  
 rum putas? Nihil igitur in vitam L. Mure-  
 næ dici potest &c.

Sed perge tu ostendere mihi quomo-  
 do



do & quam ob causam quis se lachrymis  
& tristitiæ tradere debeat, ut id Chri-  
stianè fiat, hoc est, mœrori & lamētationi  
Christi simile sit. Sæpè enim audivi, nemi-  
nem unquam Christū vidisse ridentem,  
sed sæpè flentem. Io. Fieri potest ut etiā  
riserit: fuit enim verus homo: sed nusquā  
in sacra scriptura id legitur. Hoc autē ma-  
nifestè invenitur, quod fleverit, & lachri-  
mas profuderit. cæterum si quando risit,  
certum est eum non sublata voce risisse.  
Fatuus enim (inquit quidam) in risu exal-  
tat vocem suam: vir autem sapiens vix ta-  
citè ridebit, hoc est, parum admodum &  
tacitè subridebit: An non putas Dei filio  
Christo Iesu risum abstulisse ea, quæ co-  
ctus est sanctis suis oculis videre, suis que  
mundis auribus audire? Nam si D. Petrus  
de justo Loth testatur: Is enim oculis &  
aurib. justis, cum habitaret inter illos (So-  
domitas scilicet & Gomorraeos) quoti-  
die animam justam iniquis illorū factis  
excruciabat: Quid de Christi anima &  
corde dicendum est, qui in spiritali So-  
doma per manus iniquorum acceptus &  
crucifixus est? Hic enim ipsa justitia est.

Quocirca

*Officiū Chri-  
stianorum  
contristato-  
rum.*

*Lentulus.*

*Hebr. 5.*

*Eccles. 21.*

*2. Pet. 2.*

*Apoec. 18.*

*Acto. 2.*

*1. Cor. 8.*

Luc. 19.

Joan. 11.

Hieron.

4.

Quocirca res turpes, scelestę, atroces, nefarię, majore tristitia ipsum affecere, quàm Lothũ. Scimus quàm amarè super civitate Hierusalem fleverit, dicens: si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quę ad pacem tuam pertinent, curares. Nunc aut abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & cingent te, & coangustabunt te undiq;, & ad terram prosterrent te, & filios tuos, qui in te sunt &c. Pręterea lachrymatus est Iesus, cùm videret Mariã & Iudęos, qui cum ea erant, plorantes super mortuo Lazaro, idq; nõ tam ob hanc causam quod tantopere doleret mortẽ Lazari, quàm quòd (ut nonnulli sentiunt) ipse Lazarus ad miseram hanc vitam revocandus esset: aut forsan ob hanc causam, quòd homines tam tardi corde essent ad credendũ, ut vix, aut nunquam credant, nisi signa & prodigia videant, sicut & resurrectio à mortuis vnum ex signis est, quod quidem signum Christus in Lazaro exhibuit. Licet non incredibile sit, cùm verus homo esset, eum etiã ex συμπάθει, & singulari quodã amore erga

erga Lazarum cum sororibus & parentibus eius lachrymasse. Neq; eñ moderate & cū ratione de morte aut discessu amici flere in vitio ponitur (hoc enim humana postulat natura, & aliquando hominem, ut id faciat, cogit) sed immoderate ac intemperanter plorare. In summa, manifestum est Virginis filium Christum Dominum nostrum & caput, non pro re levi nimiq; ponderis & momēti lachrymasse, sicut quædam mulieres, item infantes & pueruli solent, aut propter vnum aut alterum rubiginosum teruncium, quidā faciunt: sed propter mundi miseriam, imò multò magis propter causam hujus miseriæ, hoc est, propter incredulitatē & peccatum. Sic etiam nos lugere ac flere debemus primū super nosmetipsos, ut monet Dominus: deinde super nostros, et ceteros homines, præcipuè cū vel ipsi peccamus, vel alios peccare, Deumq; offendere videmus. Tristitia sic est, quomodo stercus. Stercus nō loco suo positum, immūdām facit domum: loco suo positum, fertilem facit agrum. Quæ enim secundum Deum tristitia est (inquit Paulus) ea

*Eccles. 3 8.**1. Thes. 4.**Luc. 23.**Rom. 12.**1. Cor. 3 20.**Chrysof.**Augustin.**2. Cor. 7.*

F

pœni-

pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit: contra mundi dolor seu tristitia mortem affert.

*Officiũ Chri-  
stianorum  
sanorum.*

*Job. 23.*

*1. Pet. 4.*

*Rom. 15.*

*Acto. 10.*

*Luc. 4.*

*2. Thes. 3.*

*Officiũ Chri-  
stianorum  
egrotorum.*

IAC. Quomodo qui integri & sani sunt exemplũ Christi imitari suisq; pedibus vestigia ejus sequi debent? IOAN. Oporteret eos sanitate sua & robore corporis bene uti, dũ valent, hoc est, ad Dei honorem & proximi utilitatem atq; salutem. Iesus em̄ Nazarenus postquã eum Deus Spiritu sancto & virtute unxit, obambulavit benefaciendo & sanãdo omnes oppressos à diabolo: ac multis civitatibus evangelizavit regnũ Dei, hoc est, officio suo, ad quod à patre suo in mundũ missus erat, fideliter ac sedulo functus est, neque otiosus fuit, neq; ullũ inutile opus fecit, sicut inter nos nonnulli pigri & robusti mendici faciunt, & alij quidã inordinate ambulãtes, nihil operis facientes, sed curiosẽ agentes, & rebus nullius momenti, nulliusq; ponderis studẽtes, qui quidem neq; sibiipsis, neq; alijs hominibus utiles sunt, sed potius detrimento & oneri cãteris. IAC. Quomodo se infirmi & egroti gerere debent? IOAN. Deum invocare & orare,

orare, & sic dicere: Pater servato nos ex hac hora: sed propterea venimus in hanc horam: Tu scis quid nobis bonum & salutare sit, pater illustra nomē tuum. Non nostra sed tua voluntas fiat. Nam idem fecit Christus, & factus in agonia (inquit Evangelista) correptusque angore prolixius orabat. IAC. Multi sunt, qui cum magna incumbit necessitas, minus orare possunt quā aliās. IOAN. Ideo sæpè orare debemus, & in tempore discere orare, ut id tanto melius perficere possimus, cū necessitas requisierit: quemadmodū & Christus fecit, qui non semel, sed sæpius ardēter oravit, priusquam postrema eius passio sub Pōtio Pilato appropinquaret.

IAC. Quam habent iudices, & ij, qui in hoc mundo judicantur formulā in Christo sibi propositam, quam exprimere tenentur? IOAN. Qui ad concilia & iudicia ducuntur, & verò etiam hi, quibus pœna vel iudicium mortis denuntiatur, debēt sequi doctrinam D. Petri dicentis: Nemo vestrum patiatur, sicut homicida aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarū rerum, siue alieni appeterens. Si autē ut Chri

F 2 stianus

*Eccles. 38.*

*Iaco. 5.*

*Ioan. 12.*

*Matth. 26.*

*Luc. 22.*

*Officiū Christi-  
anorum )  
iudicatorum.*

*1. Pet. 3. 4.*

stianus affligitur aliquis, non erubescat,  
 glorificet autem Deum in parte hac. Nā  
 & Christus non propter sua, sed propter  
 nostra peccata passus est, iustus pro iniu-  
 stis. Beati verò sunt ij, qui persecutionem  
 patiuntur propter iusticiam. Sed & is, in  
 quem supplicium à iudicibus aut magi-  
 stratu constituitur propter sua facinora  
 & peccata, seipsum exemplo Christi in-  
 nocentis consolari debet, & cogitare ser-  
 uum non esse maiorem domino suo, imò  
 cum fidei latrone in cruce dicere: Et nos  
 quidem iustè (in eadem scilicet condem-  
 natione sumus) nam digna factis recipi-  
 mus, hic verò nihil mali gessit: maximè  
 verò gaudere, quòd incarnatio Christi om-  
 nibus fidelibus efficax & utilis est vs-  
 que ad mortem. Cæterum si quis con-  
 stitutus sit, vt alios iudicet, videat, vt re-  
 ctè & iustè iudicet, sine acceptione perso-  
 narum: non ante tempus, non ita ut sei-  
 psum condemnet, in eo quod alios iudi-  
 cat, sicut docet scriptura, quæ testatur eti-  
 am Christum venturum hac ratione iudi-  
 catum orbem terrarum in nouissimo suo  
 aduentu, qui prius à Pontio Pilato in pri-  
 mo suo

Matth. 5.

Ioan. 15.

Officium iu-  
dicum Chri-  
stianorum.

Ioan. 7.

Rom. 2.

1. Cor. 4.

Acto. 17. 10.

mo suo aduentu iudicatus est. Ad summam siue viuamus, siue moriamur, præcursorem nostrum Iesum intueamur, & nunquam aberrabimus. Hic quæsiuit in toto vitæ suæ curriculo non propriū honorem, sed patris sui, non suam voluntatem, sed eius, à quo missus est, non suam vtilitatem, sed nostrum commodum, vt salui fieremus: Et cū aduenisset hora mortis suæ, lubenti ac volenti animo eā obiit, prolixiusque pro seipso & cæteris hominibus orauit, imò etiam pro ijs, qui crucifixerunt eum: deniq; se, spiritumq; suum in manus patris commendauit. Sic etiam omnes Christiani facere debent, quæadmodū nos vbiq; monent sacrę literæ, atq; hac via ac ratione veri fratres & sorores Christi erūt, imò etiā eius mater. *Matth. 120*

Nos verò vltèrius nunc nō progrediemur, ad uesperas cit enim. Nihil ne igitur amplius in hoc tertio articulo perpendendum est? IOAN. Procul dubio adhuc multa consideranda forent, sed quis omnia hæc enumerarit? Si tamen adhuc aliquid ex eo discere cupis, hoc discite, vt castè uiuas, cum omni pudicitia & temperantia,

*Officium omnium Christianorum uiuentium.*

*Ioan. 8. 6. 3.*

*Rom. 15.*

*1. Cor. 10.*

*Officium Christianorum morientium.*

siue sis in matrimonio, siue extra matri-  
*Erasmus.* moniū collocatus. Quis enim non accen-  
 datur ad virginitatis ac pudicitiae studiū,  
 quū audit & credit Christū ex virgine na-  
*Matth. 19.* tum, qui nobis in suo quoq; corpore vir-  
 ginitatē cōmendauit, & insuper etiam cō-  
 suluit, & dixit: Qui potest capere capiat,  
 hoc est, qui hoc donum habet, vt contine-  
 re possit & ἀγαμέ, id est, incōiugatus seu  
*1. Cor. 7.* cœlebs manere maneat. Nam ( vt inquit  
 Apostolus eius) Bonū est homini, mulie-  
 rem nō tangere. Ceterū si quis iam matri-  
 monium cōtraxit, aut adhuc contrahere  
*Matth. 1.* cupit, is cōsideret ac reputet Marię virgi-  
 nis & Iosephi omni virginitate castius  
 matrimoniū & conabitur virginitatē im-  
 maculatā seruare vsq; ad nuptias: post nu-  
 ptias verò pudebit eū cōiugiū adulterijs  
 inquinare aut in cōiugio seruire libidini.  
*Heb. 33.* Honorabile enim ( vt inquit Apostolus )  
 est inter oēs coniugiū & cubile impollu-  
 tū. Scottatores autē & adulteros iudica-  
 bit Dominus. Itē. Breue est tempus, reli-  
*1. Cor. 7.* quū est, vt qui habent vxores, sint tanquā  
 nō habeant. Iac. Quomodo aut hoc fieri  
 dicitur aut potest? IOAN. Qui vxorem ha-  
 bet,



bet, nō debet amare eā supra Christū, at-  
 que tā nō sinere se ab ea impediri in pro-  
 fessione Euāgelij, quā si eā omninō non  
 haberet: deniq; parat9 esse debet ob Euā  
 geliū, si opus sit, eā relinquere. Nimis em̄  
 amator pprię vxoris etiā (quēadmodum *Ambros.*  
 ille ait) adulter est. Pręterea & illi habent  
 vxores tanquā nō habētes, qui omni tem-  
 pore in hoc seculo sunt, nō tanquā ciues,  
 sed quasi aduenę terre, & q̄ habētes vxores  
 reddūt & nō exigūt debitā benevolē-  
 tiā, quiq; propter carnis suę infirmitatē  
 pprias vxores ducūt, plangētes potius,  
 quōd sine vxoribus esse nō possunt, quā  
 gaudētes, quōd duxerint: Itē qui interdū  
 pari cōsensu continentia seruāt, vt vacēt *1. Cor. 7.*  
 ieiunio & precatiōni. I A C. Faxit Deus O-  
 ptimus. Max: vt saltē in corporib. nostris  
 & cōscientijs purę virgines per fidē ma-  
 neamus, cū donū hoc nō oēs habeamus,  
 vt nos contineamus & sine matrimonio  
 viuamus. IOAN: AMEN: Hoc tibi & mihi  
 precor ex animo: I A C. Deus nos huius vo-  
 ti compotes reddat, per Christum  
 Iesum. IOAN: Amen.

Errata. ] pag. 6. lin. 15. leg. xēσeωs. 19. 8. ipsa. 23. 24. senos.  
 38. 6. alia. 39. 2. exeret. 44. 8. tu. 44. 26. anter. 64.  
 16. meditatwr.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Marginal notes on the right edge, including red initials and black text.]*



44  $\frac{11}{K5}$

AB:44  $\frac{11}{K5}$

X 199 7445



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



VS  
AT.  
N IE.  
NCE  
TV

Chri-  
si-

